

~~EX~~ BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.


VITEBERG.

1687.

SIGNAT. CLDCCCXIII.







IOH. CANVTI LENAEL,  
DE  
VERITATE  
ET  
EXCELLENTIA  
CHRISTIANÆ RELIGIONIS  
BREVIS INFORMATIO.



AD EXEMPLAR VPSALIAE  
CIS IOC XXXVIII  
EXCVSVM.  
LIPSIAE ET COBVRGI  
IN OFFICINA  
PFOTENHAVERIANA  
ANNO MDCCI.  
SCHLEVSINGAE,  
TYPIS G. W. GOEBELII,  
GYMNAS. TYPOGR.

JOH. CARSTEN

VERITATE

EXCELLENIA

BREVIS INFORMATIO

AD ELMER VALLIS

LIVRETT

TECHNICA

TOME I

CHAMBERLAIN



SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO  
DOMINO  
**HENRICO**  
ERNESTI PII FILIO DVCI  
SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE  
ACMONTIVM LANDGRAVIO  
THVRINGIAE MARCHIONI  
MISNIAE PRINCIPI COMITI  
HENNEBERGIAE COMITI  
MARCAE ET RAVENSBVR-  
GI DYNASTAE RA-  
VENSTEINI  
PRINCIPI AC DOMINO SVO  
CLEMENTISSIMO

*D. C. 2.*

E. S. Cyprianus.

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
TORONTO  
PRINTED AT THE  
UNIVERSITY OF  
TORONTO PRESS  
TORONTO, CANADA  
1971





I. N. I.  
PROGRAMMA  
DE CLARIS  
SCRIPTORI-  
BVS  
QVI  
CHRISTIANÆ RELIGIONIS  
VERITATEM ASSERVERVNT.


P.P. IN GYMNASIO CASI-  
MIRIANO

I. IANVAR. A. O. R. 1766.

J. M. A.  
PROGRAMMA  
DE CURS  
SCRIPTORI  
BVS  
CHRISTIANE RELIGIONIS  
VERITATEM ASSERVAVIT.

PER IN QVARTO CASI  
MIRANDI  
J. LENNER - M. G. K. VIA MARI





DIRECTOR GYMNASII  
CASIMIRIANI

ERNESTVS SALO-  
MO CYPRIANVS  
THEOLOGIAE PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS

STVDIOSIS CIVIBVS. S.



Si ii magnam laudem,  
adepti sunt, qui omni  
suo studio ad commu-  
nem vtilitatem tradu-  
cto quam maximis beneficiis  
quasdam ciuitates affecerunt, :  
quanto illi maioribus digni prae-  
miis videbuntur, qui numen cog-  
noscendi colendique rationem,  
humano generi proposuerunt,  
& de religionem sunt commentati.

\* 4

Nam

PROGRAMMA.

Nam sola religio veram securitatem praestat, qua sublata omnia plena sunt nefandorum criminum.

**L. XI.** De Mida Justinus: *Phrygiam religionibus implevit, quibus tutior omni vita, quam armis fuit.* Eandem religionis praestantiam Lycurgus cognitam perspectamque habuit, qui legum suarum auctorem finxit

*Idem* Apollinem Delphicum, ut con-

**L. III.** *suescendi taedium metus religionis vinceret.* Cum igitur ex religione terrarum orbi tantum accedat utilitatis; laudibus non immerito maectantur, qui rectum de ea sensum mortalibus conati sunt instillare: praecipue quod

*Tacitus An.* eius excellentia multi ad imposturas abutantur, ut Claudii templo

**XIV.** praefecti sacerdotes, qui specie

**31.** religionis omnes reipublicae fortunas effundebant. Extant vero huius instituti praecleara veterum philosophorum monumenta, non quidem omni ornatus genere culta, sed tamen hodieque retinen-

PROGRAMMA.

nenda, ob eximias de Deo præceptiones, quas in illis per involu-  
lucra quaedam atque integumen-  
ta perspicimus. In his plerique  
omnes Ciceronis libri sapientiae  
studiosis debent esse iucundissi-  
mi, quum oratione, omni lepore  
atque deliciis affluente, id labo-  
ret, in illamque curam sedulo in-  
cumbat Tullius, ut lectores ex-  
plicas haberent res diuinas: qua  
quidem in re saepenumero labo-  
rem sumfit non infelicem. Spe-  
ciminis loco proferamus verba,  
quibus religionis indolem ita de-  
dit explicatam, ut ingenii vis, di-  
cendique gloria in iis palam sese  
efferant. *Religio, inquit, est, quae  
superioris cuiusdam naturae, quam  
diuinam vocant, cultum cerimoniam-  
que adfert.*

Et si vero in hac religionis ad-  
umbratione magnus sit mortali-  
um consensus; videmus tamen  
religionum varietate mundum

\* §

acer-

PROGRAMMA.

acerbissime vexari, licet nullus sit Deum agnoscendi colendique modus, quem nequeas referre ad vnā ex quinque religionibus longe lateque notis. Sane praeter Christianam, Iudaicam, Muhamedanam, Idololatricam & Naturalistarum religionem haud scio, an quisquam sit, qui plures audeat commemorare.

Christiana vero, quam primo loco nominauimus, etiam illis admirationi fuit, qui eius sectatoribus bellum inferebant. & velut ad commune extinguendum incendium vi vnita confluebant, Nec defuerunt viri praestantes, qui admirandae religionis veritatem argumentis inuictis affererent, furoremque hostium magna virtute cohiberent. In Africana ecclesia Tertullianus circa annum CXCVI. vel, vt nuper clarissimus Alix voluit, anno CCXVII. apologeticum aduersus gentes in lucem

PROGRAMMA.

cem emisit : quo libello post scripturam nihil est ad tuendam religionem nostram validius. Eiusdem argumenti sunt libri II. ad nationes , doctissimis Pamelii, Ioannis Ludouici de la Cerda, Rigaltii aliorumque notis illustrati. Tertullianum secutus est Cyprianus , cuius de vanitate idolorum libellus in Anglia haud ita pridem ab eruditissimo Fello, & ante paucos menses à clarissimo Cellario annotationibus ornatus, non est dissimilis argumenti. Succedunt Arnobii disputationum adversus gentes libri VII. aliquoties recusi, etsi nulla editio praeferi debeat illa , quam Geuehardus Elmenhorstius Hannoverae MDCCIII. emisit. De hoc opere ita sentio, illud olim non fuisse in VII. libros diuisum : quum catalogi Hieronymiani antiquissimus codex manu exaratus, quem possideo, duo tantum volumina



PROGRAMMA.

Arnobio tribuat. Arnobio iungendus est Minucii Felicis libellus pro christiana religione, qui inscribitur: Octavius. Hunc iuxta cum Arnobio Elmenhorstius; Wagnerus autem cum Gallica Ablancourtii versione publicarunt. Ad Lactantium progredimur, qui diuinarum institutionum libros VII. contra gentes composuit, atque gentilium religionem strenue impugnavit: quamvis nostrae doctrinae non satis esset peritus. Omitto Apollonium, Romanae urbis senatorem, quod eius volumen de veritate religionis christianae desideretur, & Antonius Pagi eum plane neget inter ecclesiasticos scriptores annumerandum: quamvis nulla mihi probabilis ratio succurrat recedendi ab Eusebii & Hieronymi sententia. Taceo Thomae Aquinatis summam catholicae fidei contra gentiles, cum Francisci de Sylvestris commentariis

*Pagi*

*diff.*

*hypat.*

*p. 117.*

*Euseb.*

*H. L.*

*V. c. 21.*

*Hier.*

*catal.*

*c. 42.*





PROGRAMMA.

tariis recusam: quum multi restent  
longe nobiliores.

In Graecis patribus praeclare  
de fide nostra meritus est Iustinus  
martyr, cuius habemus ad Grae-  
cos cohortationem, vtramque pro  
christianis apologiam, & dialo-  
gum cum Tryphone Iudaeo. Ad-  
denda est Athenagorae pro chri-  
stianis apologia, quae habetur,  
Theophili ad Autolicum libri tres  
contra christianae religionis ca-  
lumniatores, & Tatiani Assyrii  
oratio ad Graecos. Quadrati,  
Athenarum episcopi, & Aristidis,  
Atheniensis philosophi, apologiae  
perierunt. Nam etsi la Guilletie-  
re affirmauerit, apud Caloieros  
bibliothecam esse, in qua liber  
ille habeatur; omnes tamen in  
spem vanam erexit. Desideratur *Le*  
& Melitonis Asiani pro christiano *Moyne*  
dogmate apologia: de qua Euse- *T. II.*  
biius libro IV. historiarum capite *var.*  
XIII. & Hieronymus in catalogo *sacr.*  
*ca. p. 156.*

PROGRAMMA.

capite XXIV. Dolemus quoque iacturam apologiae, quam Apollinaris Hierapolitanus M. Antonino Vero exhibuit. Forte & Bardesanes huc referri posset, si argumentum disputationis de fato, quam edidit, paulo clarius innotuisset. Laudatur & Hieronymo Irenaei breue contra gentes volumen: quo destituitur orbis christianus. Nec omittendus est Clemens Alexandrinus, vir inexhaustae lectionis, quem peculiari libro contra gentes pugnasse constat. Miltiadis contra gentes Iudaeosque libri, hodie desiderati, veterum scriptis passim celebrantur. Haec monumenta etsi votis omnibus expetantur, facilius tamen eorum interitum ferimus, quod Eusebii Caesariensis praeparatio & demonstratio euangelicae superfint: quanquam demonstrationis tantum libri X. restent, quum veteres XX. habuerint.

Sed de veteribus nihil addo, re-  
centio-

*l. c.*  
*c. 35.*

PROGRAMMA.

centiorum quosdam in medium  
prolaturus. Ioannis Ludouici Vi-  
uis de veritate fidei christianaе li-  
bri V. extant tomo II. operum. p.284.  
Philippi Mornaei liber de veritate *seqq.*  
religionis christianaе omnium ma-  
nibus teritur, amplissimi viri, Io-  
annis Friderici Breithaupti, notis  
illustratus. Georgii Calixti de ve-  
ritate vnicae religionis christianaе  
dissertatio lucem publicam saepe  
adspexit. Eiusdem habetur alia  
commentatio, Latino & Germa-  
nico idiomate, de vera christiana  
religione, & ecclesia, earundem-  
que statu. His praeferri solent Hu-  
gonis Grotii de veritate religio-  
nis christianaе libri VI. in varias  
linguas merito translati. Grotii  
meditamenta exposuit Ioannes  
Henichius, tractatu de veritate re-  
ligionis christianaе, Rinthelii  
CIC IDC LXVII. impresso. Iuniori-  
bus commendari possunt Hierony-  
mi Kromayeri scrutinium religio-  
num, & Pauli Heigelii dissertatio  
de

PROGRAMMA.

de veritate vnicae religionis christianaе, atque aliarum, quae praeter hanc in mundo sunt, falsitate. Eduardi Brerevvodi scrutinium religionum, & Christiani Hoffmanni umbra in luce, seu consensus & dissensus religionum profanarum cum veritate christiana, illis profuturi creduntur, qui in studiis literarum non nihil progressi sunt, iudicandique facultate pollent. Ex his libris nemo non percipiet cum christianaе fidei praestantiam, tum aliarum gentium erroneas religiones. Si cui volupe sit, quantum à veritatis tramite aberrant Muhamedani, paulo plenius cognoscere, is legat Michaëlis Nau, societatis Iesu presbyteri, religionem christianam contra Alcoranum per Alcoranum pacifice defensam & probatam. Liber prodit Lutetiae Parisiorum, apud Gabrielem Martinum, via Iacobaea, MDCCXXC. Iudaeorum placita percepturis legenda sunt,

RROGRAMMA.

sunt, donec ulterius progrediantur, Petri Danielis Huetii demonstratio euangelica, Friderici Spanhemii, elenchus controuersiarum cum Iudaeis, & theologiae Iudaeicae synopsis Ioannis Henrici Maii. Naturalistarum furores, qui doctrinam christianam iuxta cum fundamento suo euertunt, laudabili studio represserunt Christianus Kortholtus libello de tribus impostoribus magnis, Ioannes Diecmannus dissertatione de Naturalismo Ioannis Bodini, nec non Ioannes Musaeus dissertatione de luminis naturae insufficiencia ad salutem. Cumque in hac temporum iniquitate Athei, Deistae & Naturalistae hoc vnum agant, vt sacrae scripturae vim autoritatemque eleuent; operae pretium vobis constabit, humanissimi auditores, si Antonii Perezii authenticam euangelistarum fidem, Lugduni MDCXXVI. impressam, nec non Eduardi Stil-

PROGRAMMA.

Stillingfleeti epistolam ad Deiftam, adhibita iudicii industria, euolueritis.

Possẽm longe plures referre, optimi cives, nisi & instituti ratio & lectiones publicae me reuocarent, quas die lunae hora II. X. bono cum Deo exorsurus sum. Admotus enim à SERENISSIMIS NUTRITORIBUS ad literariae huius reipublicae gubernacula, credidi me rem facturum non solum docendi praeceptis conformem, sed & amplissimis Scholar- chis, ceterisque viris doctis, quos affectuum intemperies dextre iudicare finit, gratam atque acceptam, si, antequam christianae fidei capita sigillatim tradam, res tota solidis fundamentis, etiam ex sana ratione, rerum gestarum, memoria, gentiumque consensu petitis, superstruatur, atque christianae religionis excellentia generatim demonstretur. Sequar, vero ordinem quem Ioannes Canuti

PROGRAMMA.

nuti Lenaeus, Archiepiscopus  
Vpfalliensis, seruauit in libello,  
qui nunc recuditur, atque hoc ti-  
tulo insignitus est: De veritate &  
excellencia christiana religionis  
breuis informatio. Nam vt mul-  
ta omittamus, quae ad eius com-  
mendationem pertinent, ad du-  
ctum huius libelli in fide chri-  
stiana feliciter erudita est regia  
Sueciae iuuentus, vt eius constan-  
tia ac rectum de religione iudici-  
um toto orbe eluxerint. Has le-  
ctiones futuro die Sabbati comi-  
tabitur dissertatio sacra de doctri-  
na Tertulliani euangelica, cui  
praemittam orationem solennem  
de religione Latitudinariorum.  
Vestrum est, humanissimi audi-  
tores, mentes afferre Deo dica-  
tas, atque non tantum festo hoc  
die, sed toto, quem hodie auspi-  
camur, anno, imo semper, vi-  
tam transigere christiano homine  
dignam. Alloquor vos Maximi,  
Taurinensis episcopi, verbis, quae

ex-

PROGRAMMA.

extant in ejus quadam homilia,  
hactenus desiderata, quam pri-  
mus nuper in lucem produxit ami-  
cus noster singularis, Ioannes  
*Ma-* billon Mabillon, immortale Galliae li-  
*Musei* teratae ornamentum. Hæc sunt  
*Ital.* Maximi verba, quae animis ve-  
*Tom. I.* stris cupio inscripta: *Ab omni con-*  
*Part.* scientiam nostram fece mundemus. *Ac-*  
*II. p.* curemus nos, non sericis vestibus, sed  
22. 23. *operibus pretiosis. Vestimenta enim*  
*nitida membra operire possunt, con-*  
*scientiam mundare non possunt: nisi*  
*quod maioris est verecundiae, nitidum*  
*membris incedere, & pollutum sensi-*  
*bilibus ambulare. Interioris igitur prius ho-*  
*minis ornemus affectum, ut exterioris*  
*quoque hominis sit amictus ornatus.*  
*Spiritales maculas abluamus. Nihil*  
*prodest fulgere vestibus, & sordere fla-*  
*gitiis. Vbi enim conscientia tenebrosa*  
*est, totum Corpus obscuratum est.*  
Valet.

IOH.



IOH. CANVTI LENAEL,  
*DE*  
VERITATE  
*ET*  
EXCELLENTIA  
CHRISTIANÆ RELIGIONIS  
BREVIS INFORMATIO,


ilia,  
pri-  
ami-  
nes  
e li-  
funt  
ve-  
con-  
Ac-  
sed  
im-  
con-  
nif  
dum  
enfi-  
s ho-  
ioris  
atus.  
Nihil  
e fla-  
ofa  
.  
OH.




AD  
ILLVSTRISSIMVM  
DOMINVM,  
CAROLVM  
GVSTAVVM,

Comitem Palatinum,  
Rheni, in Bavaria; Iu-  
liae, Cliviae & Montium  
Ducem: Comitem Va-  
lenticiae, Spanhemiae,  
Marchiae & Ravensbur-  
gi: Dominum in  
Ravenstein.

DE



DE VERITATE  
*ET*  
EXCELLENTIA  
CHRISTIANÆ RELIGIONIS.

 Christianæ fidei eviden-  
tia & certitudo, cum  
ex vetere Mosis &  
scriptorum Ecclesia-  
sticorum historia, tum ex Evange-  
lio & scriptis Apostolicis, atque  
posteriorum temporum historiis,  
attente considerantibus perspicue  
se offerat: profuerit tamen opinor  
initia ac fundamenta ea penitus  
inspicere, quibus res & doctrina  
tanti momenti innititur; qua vi-  
tæ atque actionum omnium, co-  
gitationum quoque ac intellectus  
A hu-

humani norma continetur. Sive enim rerum temporalium cura nos afficit, sive futura vitæ status, ac hujus terrenæ exitus; in his religione velut cynosura mens hominis regitur: qua bene constituta, facilis tutaque redditur vitæ hujus tempestatum plena navigatio, & ad salutis expectatæ portum certius contendit. Gravam fore hanc considerationem non est dubium, maximique commodi, his, qui scriptorum assidua lectione, opinionumque varietate exercentur, qui nisi religionis fundamentis bene antea firmata mente, in his versentur, facile abduci possunt in devia opinionum, ac vitæ erroribus implicari, saluteque excidere. Auget periculum peregrinatio, ac præstantium virorum colloquium, sæpe etiam vilissimorum circumcessionum, quorum opinio à veritate aliena, ingenium seductioni simpli-

plicium ac fraudibus intentum: maxime eorum, quibus inest vel naturalis industria, vel generis splendor, aut sperata in populis potentia, ætas ad varia flexibilis; quorum opera in posterum utantur, ad turbandas Ecclesias, non sine rerum publicarum discrimine, sæpe etiam interitu. Muniendi sunt itaque tales, veritate certa ac infallibili; ut non solum ab his impostoribus tuti, sed etiam à propriis animi cogitationibus, dubitationibusque ex naturæ corruptæ excessibus ortis, expediti, iter propositum hujus vitæ peragant. Sunt & tentationes diaboli, quibus filium Dei, Regem & pontificem Christianorum affixit, Prophetas item & Apostolos; neque ad finem usque sæculi fidei Christianæ sectatores ab his immunes permittet.

NON defunt, fateor, argumenta ad fallendum idonea, exempla

& consensus diuturnus populorum, quorum sapientiam, fortitudinem, iustitiam, potentiam, latum ac diuturnum imperium, miratur orbis, Persarum scilicet, Græcorum, Ægyptiorum, prisorum Romanorum, quos omnes in divino cultu errasse, ac damnationi devovendos, absolum videtur rationi. Quis non miratur hodie Romanæ Ecclesiæ amplitudinem atque potentiam, prudentiam & consiliorum dexteritatem, quæ sibi orbem Christianum obedire coegit? adversantes sibi ut inopes, infirmos, ac solidioris scientiæ rudes despicit: antiquitatis venerandæ consensus jactat. Hispanici senatus prudentia & agendi virtus, etiam toto orbe conspicua, omnes in sui admirationem rapit: Sacramentaria gens, etiam seipsam ob incredibilem sapientiæ, eruditionis & eloquentiæ opinionem miratur. Hos omnes si  
quis

quis in fide de Deo & religione,  
 erroris alicujus insimulare aufit;  
 infanus videbitur, aut certe teme-  
 rarius, qui sibi majorem his omni-  
 bus sapientiam tribuat, quos nul-  
 la humana scientia vincet. Divi-  
 na itaque heic sapientia opus est,  
 quam devote, ut par est, implo-  
 rantes, pia in Deum spe freti, vi-  
 deamus quid ad hujus rei tam ar-  
 duæ explicationem utiliter afferri  
 possit, ad nostram confirmationem  
 & Dei gloriam.

Fides Christiana ea solum vera  
 est, & ad salutem efficax, quæ cre-  
 dit Deum unum, juxta symbolum  
 Apostolorum, Patrem, Filium &  
 Spiritum Sanctum: Christum,  
 mediatorem secundum utramque  
 naturam, serio cupere salutem  
 omnium hominum; nostrum ne-  
 minem prædestinasse, nec creasse  
 ad damnationem, nec velle cujus-  
 quam interitum ideoque omnes  
 vocasse, elegisse autem ex voca-

torum numero eos, qui fide recipiunt oblatam gratiam, per redemptionem in Christo: quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus. Rom. 3. Et hanc justificationem, ut & vitam æternam, non contingere nobis ex merito nostrorum operum, sed esse gratiam & donum Dei; sicut id declarat Apostolus, Rom. 3, 4. Et c. 6, 23. Eph. 2, 4. Tit. 3, 5. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos: sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spir. Sancti. Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Credit etiam Sacramenta non esse nuda signa, sed conferre ad augmentum gratiæ & fidei, ad remissionem peccatorum, ad nostram vivificationem, memoriam mortis Domini, augmentum mutæ dilectionis: in sacra cæna corpus & sanguinem Christi exhiberi utentibus, ore accipiendum



dum cum pane & vino. Confite-  
 tur Spir. Sancti efficacem opera-  
 tionem, per ordinarium ministe-  
 rium, verbi prædicationem, ad  
 conversionem & sanctificationem  
 credentium, docente Apostolo.  
 Rom. 10, 14. & 17. *Quomodo credent*  
*sine prædicante?* Et: *Ergo fides ex au-*  
*ditu est, auditus autem per verbum Chri-*  
*sti.* Et 2. Cor. 3, 5. *Sufficiencia nostra ex*  
*Deo est. Et; Deus est qui operatur in*  
*nobis velle & perficere, pro bona volun-*  
*tate.* Phil. 2, 13. Credit hæc fides  
 etiam resurrectionem mortuorum  
 omnium, ad extremum iudicium,  
 & vitam æternam fidelium, damna-  
 tionem autem incredulorum: &  
 cætera, quæ in confessione Caro-  
 lo Quinto exhibita Augustæ, de  
 fide catholica declarantur; uberius  
 autem in Prophetarum & Aposto-  
 lorum scripturis, divina autori-  
 tate comprobatis, & ab omni Ec-  
 clesia Christiana sine dubitatione  
 receptis, Neque enim omnia fidei

Christianæ dogmata folicite describere, brevitatis hæc & instituti ratio permittit.

Probandum est itaque deinceps, hanc quam profiteamur fidem, à Deo traditam esse, ac Divinam habere auctoritatem, certam, infallibilem, sufficientem, ad Dei cognitionem in hac vita, verum cultum Divinum, sanctificationem & informationem; perducentem ad felicitatem æternam: aliam vero religionem quamcunque id præstare non posse, nec Deo placere.

Constat id ex historia sacra quæ nulla est antiquior aut certior: Moses enim scriptor est antiquissimus, mundi ac hominum creationem ab origine deducens, cum generationibus sequentibus ab Adamo usque: Patriarcharum nomina, ætates, familias, habitationes, ritus, diluvium quoque cum omni circumstantia comprehen-

hendit, quæ aliarum omnium histori-  
 arum notitiam excedunt, quæ  
 quid habent, fabulis ea quam hi-  
 storia sunt similia; sicut de his  
 historiae suæ initio conqueruntur  
 Livius, Diodorus Siculus & alii  
 gentium historici: nec est profa-  
 norum scriptorum ante diluvium  
 ulla memoria. Vana est ergo alio-  
 rum adversus Mosen exceptio,  
 cum ipsi nec certiora habeant quæ  
 substituunt: neque illa quæ ab  
 ipso scripta sunt, ulla ratione pro-  
 babili refellere valeant. Nec pa-  
 rum roboratur Mosis autoritas, il-  
 lustræ deductione Israelitarum ex  
 Ægypto, per mare rubrum, & de-  
 sertum interjectum usque ad ter-  
 ram Palestinam, conspicua insigni-  
 bus frequentibusque miraculis:  
 insigni etiam & valde conspicua  
 legis promulgatione, cum essent  
 in castris ad Horeb, armatorum,  
 sexies centena millia, cum pueris,  
 mulieribus ac servorum multitu-

dine, Exod. 12, 37. Quibus audientibus, legem Mofi Deus tradidit, in tabulis scriptam, & voce sua loquutus est ex caligine & nubibus. Exod. 19. Fallere hæc revelatio non potuit, facta in tot testium præsentia, scripto ac per manus tradita posteris, & in hunc usque diem servata: habuit autem inimicos Mofes cum Israelitis Ægyptios. Amalechitas, Ismaelitas, Idumæos, gentemque universam Moabitarum, Midianitarum & Cananæorum: nec inventus est quisquam, qui historiam Mofis in dubium vocarit. Ad hanc apparitionem provocat Mofes Deut. 4, 32. & quærit, an post ortum rerum, in ulla mundi parte res tantæ, tam mirabiles visæ sint aut auditæ unquam, ubi Deus ex igne loquutus est populo voce sua. Hoc cum ad populum loqueretur Mofes anno quadragesimo post latam legem, Deut. 1, 3. nemo  
ex-

except, nemo dubitat rem sic esse gestam. Scripto fuerunt deinde hæc omnia in historiam relata, Divino mandato: *Ex. 17, 14. Scribe ista in libro ad memoriam, & commenda in auribus Iosue. Et cap. 24, 4. Scripsitque Moses omnia verba Domini. Et Deut. 31, 9. Scripsit itaque Moses legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus, filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israel. Et Deut. 4, 7. Quis populus tam illustris, cui Dii sic adpropinquant, sicut Dominus Deus noster, quoties invocamus eum? Unde etiam in fine libri concludit: Testor hodie cælum & terram super vos, proposui vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, ut eligas vitam: &c. Cap. 30, 19. Et Cap. 29, 10. Fœdus factum cum Deo inculcat ac iterat, ad populum Israeliticum & filios eorum, mulieres & advenas, ad eorum quoque posteros, in perpetuum.*

Mortuo Mose, repetit Deus exhortationem; ac curam sacri præcepti commendat Josue, successori Mosis, qui ipse erat spectator eorum omnium quæ fiebant, in Ægypto, in Horeb, & in itinere per desertum, qui ipse ad multam ætatem vitam produxit, populoque Israelitico præfuit, sæpius in-  
 finuans admiranda quæ fiebant, in deserto. Ad ipsum Deus loquitur in hunc modum: *Confortare & esto robustus valde, ut custodias & facias omnia juxta legem, quam præcepit tibi Moses servus meus. Ne declines ab ea ad dexteram vel sinistram, ut intelligas cuncta quæ agas: Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte.* Jos. 1, 7. Præcepta hæc iterum repetit Josua ad populum in ultima ætate ante mortem: Jos. Cap. 23. cum historia tota ab Abraham usque ad præsentem diem, pactum cum Deo renovat, commendatque ip-  
 sis

fis & posteris eorum; meminit-  
 que populus ipse, exitus illius ex  
 Ægypto, & auxilii Divini ac libe-  
 rationis ex servitute. Scripsit  
 hæc Josua, in libro fœderis, ac re-  
 liquit Israelitis ab ipsis desedens,  
 ætatis anno centesimo decimo.  
 Continuata fuit religio hæc post  
 Josuam, longo tempore per senio-  
 res, quibus nota erant opera, quæ  
 fecit Dominus cum Israele. Ibidem  
 Cap. 24. Res istæ sub Mose ac Josua  
 gestæ, tam illustres, nulla tempo-  
 rum injuria obliterari potuerunt,  
 nec tam iniquus fuit quisquam,  
 qui ea vel negare, vel in dubium  
 vocare ausus sit. Vellicat Mosen  
 Julianus, & odio Christianorum,  
 ridet nonnulla ejusdem, eum de  
 mundi creatione & opifice Deo,  
 cum Platonis descriptione confert;  
 interim Deum mundi creatorem  
 fatetur cum utroque, atque sic ve-  
 ritatem & antiquitatem scripto-  
 rum Mosis invitus fateri cogitur.

Et initio scripti fui adversus Christianos; quos accusat, quod neque Mosen, nec gentilium religionem sequantur, sed mediam quandam viam sint ingressi, ab utraque differentem: quæ accusatio si quid concludet, necesse est fateri apostatam, utramque hanc esse veram, & sectandam alterutram. Ipse vero sibi habeat idola gentilium, nos Mosen sequimur, quem Judæi & Christiani omnes prophetam a Deo missum agnoscunt, illustribus minimeque fallentibus testimoniis ac apparitionibus Divinis comprobatum.

Nec desunt Gentilium antiquissimorum suffragia, Mosis auctoritatem & res gestas comprobantia, ne quid ad historiarum veritatem deesse videatur. Diodorus Siculus diligens antiquitatis scrutator, paulo ante finem lib. I. suarum historiarum, Mosen Judeorum legislatorem, Deoque leges suas acceptas  
fer-



ferre dicit. Strabo omnium clarissime Cosmographiæ lib. 16. *Fama qua plurimum obtinet, inquit, de rebus creditis circa Jerofolymarum templum asserit, Egyptios fuisse eorum progenitores, qui nunc Judei apellantur; nam Moses, unus ex Egyptiis sacerdotibus, cum partem quandam regionis haberet, ac moleste ferret eorum instituta, hinc eo commigravit, dissefcere cum eo multi quibus divina curæ erant. Docebat n. ille quomodo Egyptii non rectè sentirent, qui ferarum & pecorum imagines Deo tribuerent: nec Greci, qui Deos hominum figuris insignirent; & quod id solum Deus esset, quod nos contineret, & terram & mare, quod cælum, & mundum: quod rerum omnium naturam appellamus, cujus profecto imaginem nemo sane mentis nostræ similem audeat effingere. Oportere itaque relicta omni simulacrorum effigie, & digno ei fano ac templo constituto, sine forma colere: & vel pro se quenque dormire, vel alios qui boni insonnatores*

es-

essent, pro alijs, ac semper bonum aliquod, & donum, & signum a Deo expectare; eos praesertim, qui caste integreque, & cum justitia viverent, ceteros vero nequaquam. Ille hac dicens, hominibus bonis, non sane paucis id persuasit, & in eum locum deduxit, ubi nunc condita sunt Jerosolyma. Narrat postea ibidem, Judæos posterioribus temporibus ad superstitionem & ambitionem versos atque tyrannidem, a prima integritate defecisse, ideoque a Romanis oppressos. Talis, ait, erat Moses, & successores ejus: qui cum initia non mala habuissent, postea in deterius delapsi sunt: Jam vero aperte Judæa a tyrannis opprimitur: primus pro Sacerdote se Regem fecit Alexander cujus filios Hyrcanum & Aristobulum de imperio disceptantes Pompejus sustulit. Hæc ille. Narrat etiam Sodomorum interitum & vicinæ regionis, ex terræ motu & ignis afflatu ac sulphure. Omitto quæ de Mose & Patriarchis, Trogi abbreviator Justinus

finus adducit, & Plinius; nam & Cornelius Tacitus, rem propius attingens, plura commemorat, & initio lib. 21. annalium, historiam, descripturus Romani belli in Judæa, & vastationis Jerosolymæ, in regionis gentisque descriptionem digreditur, ac Mosen hujus gentis ac legum conditorem declarat; qui collectos ex Ægypto profugos, per deserta Arabiæ in Palestinam deduxit aquam siti entibus in deserto, mirabili artificio inventam præbuit: circumcisionis ac rituum meminit, ut & Herodotus atque Diodorus: Hierosolymæ nomen ex Solymorum gente conditrice, Homeri carminibus celebrata deducit. Ad dantur his antiquiora, quæ Cyrilus lib. 1. contra Julianum affert, Ptolemonis qui primo lib. historiarum Græcarum mentionem ejus facit: sic Ptolemeus Mendesius, Hellanicus, Philocorus, Castor, & alii. Diodorus a sapientibus Ægy-

Ægyptiis sic accepit: Nam post statum veteris Ægyptiorum vita, quæ sub diis ac heroibus fuisse narratur, dicunt virum quendam magna mentis & vita, apud Judeos celeberrimum Mosen, qui dicebatur Deus, persuasisse primum, ut legibus scriptis vivendo populi uterentur. Sunt & testimonia veterum gentilium de his quæ a Mose perscripta sunt: Alexander Polyhistor, [referente Cyrillo adv. Jul.] de Noa loquitur, quem Persica voce Xysuturum appellat, qui Deo jubente arcam fabricabat, in qua ipse, cum avibus, reptilibus & jumentis navigaret. Abydenus etiam scripturas ait servatas Heliopoli, in sculpturis; tempore diluvii emissas esse volucres ad explorandum loca ex aquis eminentia, & hoc iterum atque tertio; substituisse vero arcam in Armenia; ibidemque servari lignorum reliquias. Turris quoque Babylonice & divisionis linguarum iidem meminerunt; & Abra-

Abrahami. Euseb. præp. Euang. lib. 9. c. 4. Nativitatem Mosis Cyrilus collocat anno ante primam Olympiadem octingentesimo decimo quinto; quadringentesimo decimo scilicet ante excidium Troiæ, cui Augustinus consentit, de civit. Dei. lib. 18. Cap. 8. & in Chronicis Eusebius. Et lib. 10. de præpar. Evangelica c. 3. Plerisque Græcorum Diis antiquiorem Mosen ostendit. Et plus octingentis annis Troiana tempora antegressum docet, Porphyrii testimonio, qui & ipse hostis erat Christianorum: esset itaque ejus testimonio Moses coetaneus Semiramidis. Hesiodum autem & Homerum bello Troiano posteriores esse omnino norunt; eos tamen deorum opifices facit Herodotus; sic loquutus, lib. 2. *Hesiodus atque Homerus, quos quadringentis non amplius annis ante me opinor extitisse, ii fuere, qui Græcis deorum prolem introduxerunt, eisque* cogno-

*cognomina, & honores, & diversa artificia, & figuras attribuerunt. Et paulo ante hæc verba sic: Unde autem singuli deorum extiterint, an cuncti semper fuerint, aut qua specie, haud ita multo ante hoc tempus ignorabatur; ut ingenue loquar. Hæc ille; unde & Mosis ætas, & idolorum vanitas perspicue colligitur. Quod vero superius eodem libro, de ritu moribusque Ægyptiorum commemorat, pleraque Judaicis similia sunt, aut a Mose accepta, ut circumcisio, sacrificia, crebræ lotiones, jejunia, scriptura a dextris ad sinistram, ceremoniæ infinitæ, piscium delectus & abstinentia, successio filii in Sacerdotium patris defuncti. Plato mundi creationem admittit, & Deum fatetur universi opificem, naturam supremam, nativitatem non habentem, semperque existentem, & per se, qui nunquam cepit; Orphei carmina; Musæi, Lini, Berosi, Sybillarum,*  
Nu-

Numenii aliorumque, vetustissimorum testimonia, de Mose, mundi opifice Deo, Diluvio, aliisque a Mose descriptis, magno numero recensent Eusebius de præparatione Evangelica lib. 9. & sequentibus. Videatur etiam Josephus rerum Judaicarum scriptor, & Augustinus de civitate Dei. Et quæ in commentario libri ejusdem addidit Ludovicus Vives; Clemens Alexandrinus; & quæ Justinus Martyr paullum ab initio orationis ad gentiles de antiquitate scriptorum Mosis adducit, ex Polemone, Appione, Ptolomæo, Mendefio, Hellanico & Philochoro; Et quæ Castor, & Thallus, & Alexander, Josephus & Philon memorant; qui omnes Mosis mentionem faciunt, autoritatem ejus recipiunt, ac confitentur, se ea ab Ægyptiis Sacerdotibus accepisse. Et quid multa? Fatetur id orbis Christianus univ ersus: nec est qui diversum sentiat:

tiat: consentiunt & Mahumetistæ  
 omnes, Mauri, Arabes, Ægyptii,  
 Æthiopes & Numidæ, Turcæ, Per-  
 sæ, Schytæ; orbis pars maxima.  
 Breviter totus orbis, excepta Ame-  
 rica & parte mundi exigua ido-  
 lolarum in extrema India; ex  
 quibus non pauci tamen, Chri-  
 stianæ fidei informationem ad-  
 mittunt. Quid opus est igitur de  
 his tantopere laborare? Imo, ut di-  
 ctum erat initio, vertitur in his sa-  
 lutis nostræ temporalis & æternæ  
 negotium: ut nisi fundamento va-  
 lido Christiana Religio nitatur,  
 corruet structura, & vacillat fides.  
 Nobis qui Mosi credimus, satis est,  
 eum Divina voce inauguratum,  
 Prophetam Domini, ac populi Israe-  
 litici ducem: miraculis deinde in  
 conspectu populi Divinitus con-  
 firmatum, prædictionibus quoque  
 redditum illustrem, quos eventus  
 dudum comprobavit. Gentilium  
 testimoniis paganos convincimus



& rationem nostram, quæ humana quoque testimonia expetit, & more Academico interdum gentilizat. Incipit etiam plerunque fides nostra a testimonio humano, sicut Samaritanorum ex testificatione mulieris; Joh. 4. quæ postea perceptis Divinis oraculis ac promissionibus absolvitur.

Jam igitur firmata Mosis autoritate non erit difficile futurum, cætera instituti nostri pertexere; hunc enim ut ducem sequitur totus Prophetarum chorus; ex quo, ut & illis, novi testamenti fides extruitur. Prophetam enim promisit Deus, quem audire jussit, addita comminatione. Deut. 18, 15. addidit insuper rationem probandi Prophetam verum; ex eventu scilicet prædictionum, quibus insuper miracula addidit: ut ex Mose & factis Divinitus miraculis, evidens sit Prophetarum autoritas. Nunc in historia progredimur. Temporibus Judi-

dicum mortuo Josua & senioribus, qui miracula viderunt & grandia Dei facta sub Josua; defecit verus Dei cultus, invaluit autem idololatrica superstitio Deorum gentilium: itaque excanduit ira Dei adversus Israel, quos ideo gravi afflictione coercuit, & ad fidem revocavit, excitatis subinde Judicibus ac Prophetis, quorum monitis & autoritate rejectis idolis, foedus antiquum servare compulsi sunt; ut patet Jud. cap. 2. & sequentibus. Ac in fine libri aliquam fuisse reliquam veri Dei notitiam & pietatis zelum, docet excidium Gibeonitarum & tribus Benjamin; qui ob scortationem & flagitiosorum impunitatem atque susceptam eorundem defensionem, interneceione deleti sunt.

Regum temporibus, sub Samuele, Davide, Salomone, Rehabeam, Josia, Hirschia, Josaphat & aliis, similiter cultus Dei veri servatus

vatus fuit; deficientes quandoque  
Deus plagis & afflictione reduxit;  
ut docet exemplum Manassis. 2.  
Chron 33. II.

Et cum sub impio Rege Achab,  
tanta esset persecutio, ut nemo  
ex veris Dei cultoribus apparere  
ausus fuerit, & omnis cultus ve-  
rus esset abolitus, cum libris sa-  
cris: Elias in publicum progredi-  
tur ac in conspectu Regis ac popu-  
li, ignem a cœlo evocat, sacrificium  
& aquas circumfusas absorbit; Ze-  
lo heroico, consentiente tamen  
populo, quadringentos Prophe-  
tas Baal occidit. 3 Reg 18. his aliis-  
que insignibus miraculis ostendit,  
se esse Prophetam Domini, & do-  
ctrinam suam esse veram. Con-  
tinuatur persecutio sub Manaf-  
se per annos quinque & quinquaginta,  
4. Reg 21. I. Mortuo Manaf-  
se, & regnante Josia invenit Hilchia  
librum legis absconditum in tem-  
plo, unde cultus Divinus iterum

B

re-

restitutus, mansit usque ad capti-  
 vitatem Babylonicam, & Deinde  
 70. annis sub Jeremia, Ezechiele,  
 Daniele & aliis, Haggai deinde &  
 Sacharia, 1. Esra. 5. 1. Servabatur  
 postea cultus Divinus sub Regibus  
 ac Sacerdotibus usque ad Chri-  
 stum. Quamvis autem variis mo-  
 dis depravata esset religio a Phari-  
 sæis ac Sadducæis, tamen scriptu-  
 ra Mosis ac Prophetarum, ut sacro-  
 sancta ab omnibus habebatur, ac  
 mansit incorrupta, cum sacramen-  
 tis sacrificiorum & circumcissionis.  
 Unde Pharisei adversus Christum,  
 Christus adversus Phariseos fre-  
 quenter allegat scripta Mosis, Da-  
 vidis ac Prophetarum: idem quo-  
 que in suis scriptis faciunt Aposto-  
 li. Hinc concludimus, integram in  
 sacro codice asservatam fuisse vet.  
 Testamenti scripturam usque ad  
 Christum, ex qua deinde extracta  
 fuit fides Christiana.

In scriptura veteri continentur  
 ini-

initia & fundamenta Christianæ fidei, Lex ut dictum est, promissiones de Christo Messia, vaticinia de fide, de Christo & ecclesia; ex quibus præcipua sunt Gen. 3. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Gen. 12. In femine tuo benedicentur omnes gentes. Et plurimæ, quæ ex Psalmis, Esaia, Jeremia, de nativitate, morte, passione, resurrectione Messia dicuntur. Daniel etiam tempus venturi Christi notat, ac definit septuaginta hebdomadas, ex quibus singulæ continent annos septem, qui numerus efficit annos quadringentos & nonaginta, computando a tempore liberationis Israelitarum ex captivitate Babylonica. Iesaias docet nasci debere eum ex virgine. cap. 7. 14. in Bethlehem civitate David Mich. 5. 1. Nathan ex posteris Davidis oriundum prædicit, 2. Sam. cap. 7. 12.

Moses prophetam fore prænunciat.

ciat. Deut. 18. 15 Evangelizantem pauperibus & afflictis. Esa. 61. 1. cum lingua erudita. Esa. 50. 4.

Describit etiam qualitatem miraculorum, quæ faciet Messias, cap: 35. 5. cæci visum recipient, surdi auditum, claudi ambulabunt, muti loquentur.

Mortem & passionem prædicit; cap. 50. 6. maxime vero cap. 53.

David prænunciat Mesiam fore filium Dei: Pf. 2. 7. Passionem etiam prædicit Pf. 22 & 69.

Resurrectionem, Pf. 16, 9. Victori-  
am Pf. 110. Dominium in res omnes. Pf. 8.

Ascensionem, Pf. 47, 6. 68, 19.

Prædicationem Evangelii in universum orbem. Pf. 19. 5. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Rom. 10.

Triumphum in hostes & conjunctionem cum sponsa Ecclesia, Pf. 45.

Conversionem gentium ad fidem.

dem. Esa. 19. 1. ibidem cap. 11. 10.  
42. 6. 60, 3. 12. & 14. initium prædi-  
cationis ex Jerusalem. Esa. 2, 3.  
Mich 4 2.

Inobedientia & contumacia ju-  
dæorum describitur, & præfigura-  
tur, in his qui vixerunt tempore  
Eliæ: 3. Reg. 19. 10 de quibus con-  
queritur Propheta: *Domine Prophe-  
tas tuos occiderunt, altaria tua sub-  
ruerunt.* Adducitur ab Apostolo,  
Rom. 11, 2. *Et: Tota die expandi manus  
ad populum incredulum & contradicen-  
tem.* Esa. 65. 2. prædixit Moses,  
Deut. 32, 21. Daniel. c. 9. 26. Aboli-  
tionem sacrificii David prædicit. Ps.  
110. 3. Daniel. cap. 9 27.

Et: *Oblationes & holocausta  
non voluisti.* Et paulo post; *Ecce ve-  
nio in cap. libri scriptum est de me: vo-  
luntatem tuam facio libens.* Ps. 40. 7.  
Sic tota religio Christiana fundatur  
in vet. testamento; nativitas, passio,  
mors Christi, persona, natura ge-  
mina, Divina & humana, victo-  
ria,

ria, exaltatio, prædicatio Evangelii, ejus initia, progressus, impedimenta, & circumstantiæ delineantur in antiquo codice: ministri quoque Ps. 45. 17. *constitues eos principes in universa terra.* Et Ps. 68.

Et quia promissiones & prædictiones omnes completæ sunt in Christo; itaque concludimus ex Deo profectam esse Christianam fidem, promissiones & vaticinia, qui solus novit futura, & quæ prænunciat, in effectum deducere potest. Nam ex eventu probandæ sunt promissiones & vaticinia; si videlicet eveniat quod prædicitur, ut docet Deus per Moïsem, Deut. 18. 21. *Si non eveniet verbum quod loquutus est; non loquutus est dominus verbum istud.* Et Esa. 47. 12. *Sta cum incantatoribus tuis, qui prædicunt futura tibi, &c.* Et 44. *Ego Deus: quis mihi similis, qui voco & annuncio, & efficio illud.* Et deinceps: *Fac eos annunciare signa & futura.* Et 41, 23. *annunciate,*



*te qua ventura sunt & sciemus quia Dii estis vos.* His adde miracula, quibus Prophetæ vaticinia sua confirmarunt. Miracula itaque & futurorum scientia, quia in solius Dei sunt potestate, certissima sunt signa confirmantia doctrinam esse Divinam: cui si accedat vox ipsius Dei de Cœlo loquentis, non est quod ulterius quisquam de doctrinæ veritate dubitet, aut documenta certitudinis evidentiora requirat.

Probavimus cultum veri Dei, conservatum fuisse ad Christi tempora usque: habuerunt enim integrum Dei verbum Vet. Testamenti; Sacramenta, ritus, promissiones, vaticinia, typos, & alia ad Dei veri cultum & Messiae notitiam necessaria, ut dictum est. Videndum est nunc, quæ nobis argumenta certitudinis afferat Evangelium, & doctrina Novi Testamenti.

Probationes ex Novo Testamento.

1. Quia quicquid prædixit Spiritus Sanctus in Vet. Testamento, hoc in Christo Mariæ filio est completum. Natus est anno 490. post extructum denuo templum, juxta vaticinium Danielis, cum mandante Dario reversi sunt Judæi ex captivitate, ut notat in Chronicis Eusebius & alii. In Bethlehem, ex virgine, ex femine Abraham, posteritate Davidis, post occupatam à Romanis Judæam; sicut prædixit Jacob, Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, antequam veniet Schilo.* Nunciatur nativitas ab Angelo. Luc. 1, 2. prædicavit Evangelium & languores curavit, Matt. 4, 23. Loquebatur erudite, supra ætatem, Luc. 3, 47. *Stupebant omnes super prudentia & responsis.* Luc. 4. 22. *Mirabantur omnes super verbis gratie, quæ procedebant de ore ejus.* Et ministri templi testantur, Joh. 7.

46. *Nunquam sic loquutus est homo.* 3. *Miracula edidit, ab Esaiâ prædicta.* *Matt. 11. 5. cæci vident, claudî ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperibus prædicatur Evangelium.* 4. *Passus est secundum scripturas, & resurrexit, ascenditque in cœlum; sicut acta omnia ab Evangelistis notantur.* 5. *Apparuit vivus post resurrectionem, & per dies quadraginta apprensus eis & loquens de regno Dei, &c.* *Act. 1. 3. Prædixit salvator passionem & resurrectionem suam* *Mat. 16. 21. cap. 17, 22. 26, 32. Præcedam vos in Galileam.* *Quæ verba repetit Angelus; cap. 28. 7. 6. Misit discipulos in omnem terram, Matt. 28, 19. Marc. 16. 15. Illi vero egressi prædicabant usque ad fines orbis terrarum: sicut prædixit David, Ps. 19. 5. Testes horum omnium fuerunt Apostoli, quos donis Spiritus Sancti, scientia perfecta, linguarum cognitione, miraculorum*

operatione ornavit : Marc. 16, 20.  
 ne quis dubitet de veritate doctri-  
 næ eorum : Sicut hoc explicat Pe-  
 trus, Act. 10, 39. & 2. Ep. c. 1, 16. Et  
 Joh. 1. Ep. cap. 1, 1. Ipsi enim con-  
 versati fuerunt cum eo, ante re-  
 surrectionem & post, & præsentem  
 omnia viderunt : Ideo in locum  
 Judæ non volebant Apostolum  
 alium eligere, nisi ex his, qui ipsi  
 oculis suis viderunt hæc omnia.  
 Act. 1, 21. Plus tamen tribuit Petrus  
 oraculis Divinis, ad faciendam fi-  
 dem. 2. Pet. 1, 19. *Habemus firmiorem  
 Propheticum sermonem : cui bene faci-  
 tis attendentes, quasi lucernæ lucenti in  
 caliginoso loco, donec dies elucescat, &  
 Lucifer oriatur in cordibus vestris. Et  
 v. 21. quia Spiritu Sancto inspirati, lo-  
 quuti sunt sancti Dei homines. 7. Nec  
 minimam certitudinem affert te-  
 stificatio Johannis Baptistæ, quam  
 Deus misit, ut viam pararet Christo  
 Domino, juxta prædictionem Esa.  
 40, 3. *vox clamantis in deserto. Mal. 3, 1.*  
 Ecce*

*Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam: &c.* Eliam. Mal. 4, 5. quod de Baptista. Christus explicat. Matt. 11, 14. & 17, 12. Missus erat, præterea Johannes, ut Christum notum faceret, quoad individuum seu personam, ne de persona homines ejus temporis errarent. Notus autem Johanni non erat Iesus ex facie aut conversatione; [ipse enim in Iudæa erat enutritus, Christus in Galilæa:] sed ex revelatione Divina in ejus notitiam venit, sicut ipse fatetur, Ioh. 1. 31. *Ego nesciebam ipsum.* Testatur ipse eum esse filium Dei ibidem v. 34. Omnes autem tunc habuerunt eum ut Prophetam. Matt. 14: 5. Et 21. 26. Testatur ipse Iesum esse Messiam, Ioh. 2: 29. Ecce agnus Dei. Legatis pontificum & principum Jerosolymitanorum respondit: *Ego non sum Christus: sed stat in medio vestri;* quem postridie circumstantibus monstrabat Ioh. 1. 29.

Et v. 32. *Vidi spiritum descendentem quasi columbam de celo. Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: &c.* Et cap. 3. 31. *Qui e supernis venit, super omnes est. Et paulo post; Pater diligit filium, & omnia dedit in manus ejus. Qui credit in filium, habet vitam eternam: qui autem non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Provocat Salvator ad hoc Iohannis testimonium adversus Judæos, Ioh. 5. 33. quibus id satis esse debebat, apud quos in tam magna auctoritate erat Johannes: nobis vero Christianis sufficit, qui ex testimonio Prophetarum & Christi, Matt. 11, 10. novimus, Iohannem esse a Deo missum, ut præsentiam Christi genti judaicæ nunciaret: ut supra. 8. Verum docet Dominus Ioh. 5. 36. se testimonio humano non egere, habere autem testimonium majus Iohanne: bina autem hujus generis profert, opera

ra scilicet admiranda , *quæ dedit ei pater ut perficiat ea.* Et vocem patris cœlestis loquentis de cœlo , v. 37. *Qui misit me pater ipse testimonium perhibuit de me :* puta Matt. 3, 17. & cap. 17, 5. *vocis ejus meminit Christus , ac Judæos reprehendit, quod non audiant eam. vox patris erat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, hunc audite.* Quam vocem de cœlo bis edidit Deus ; in baptismo Christi , & iterum, Matt. 17. in clarificatione ejus , audientibus Petro , Jacobo & Johanne. Ex qua voce certitudinem accepit, Petrus : 2. Ep. c. 1, 17. Et Apostolus Epistolæ ad Hebræos Autor , dicit, Christum hac voce ordinatum esse pontificem Novi Testamenti; Ps. 2. *Filius meus es tu, &c. Et. Ps. 110. Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchizedec.* Heb. 5, 5. Et hoc est, quod prædixit Hagg. c. 2, 7. & adducitur Heb. 12, 26. ubi Deus, qui voce sua terruit Israelitas in Horeb , iterum

velit voce sua movere cœlum & terram. Mofi enim in terra est loquutus; Filio autem e cœlo. Hæc testificatio tanta est, ut major haberi nequeat. qui enim Deo loquenti non credit, qui est ipsa veritas, quomodo credet creaturæ loquenti? Et contra: *Si testimonium hominum accipimus; testimonium Dei majus est, quoniam testificatus est de filio.* 1. Ioh. 5: 9. Et Hebr. 12: 25. *videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terra loquebatur: multo magis nos, qui de cœlis loquentem rejicimus, (vel, qui nos avertimus) ἀποσπεφόμενοι.* Testes hujus sunt David Ps. 2. & 110. Iohannes Baptista, & astantes discipuli, Petrus, Iacobus & Iohannes, ut dictum est: *nativitatis Zacarias, Elizabeth, Maria mater domini; passionis, populus Ierosolymitanus & Maria cum quibusdam discipulis: neque enim hæc in angulo gesta sunt,* ait Apostolus, Act. 26: 26.

Luc.



Luc. 24. 18. Resurrectionis & Ascensionis testes, Maria, Cephas, Cleophas cum socio, duodecim Apostoli, fratres fideles & discipuli quingenti, Iacobus item & Paulus 1. Cor. 15. 1. Et Evangelistæ. Hi fuerunt *testes a Deo præordinati*: dicit Petrus Act. 10. 41. Secundum testimonium, miracula, quæ tot & tanta memorantur à Christo facta, ut singulis scribendis libri nulli sufficerent, ait Iohannes, cap. 21. 45. Et ut nonnulla fecerint Moses & Prophetæ; omnia illa quidem facta sunt ad Christianæ fidei confirmationem, & veri Dei notitiam: Christi autem miracula numero infinita erant, & tanta, ut nunquam ab initio munditalia sint ab ullo mortalium edita. Fatetur id Nicodemus doctor & princeps in Israele: Ioh. 3. 2. *Nemo potest facere signa quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Et cæcus Ioh. 9. 32. *A seculo non est auditum, quod quis*

*quis aperuerit oculos ejus, qui fuit cecus natus. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quicquam.* Sic ad probaticam piscinam, ægrum qui triginta octo annos habebat in infirmitate. Lazarum mortuum, cum dies aliquot egisset in sepulcro, fœtidum, semiputridum, evocavit ex monumento vivum. Ioh. II. 42. Hisce stupendis, annumerant Evangelistæ plurima alia: Dæmonia ejecit ab obsessis, leprosos curavit, languidos, ex quocunque morbo detinerentur, liberavit, multa millia hominum cibo exiguo saturavit, maria & procellas compefcuit: futura prædixit, de morte & passione sua, de excidio Jerosolymitano, de fine mundi, de morte discipulorum, de successu Evangelii. Pleni sunt his libri Evangelistarum. Paulus docet plurimos horum gestorum testes supervixisse, cum scriberet Corinthiis; I. Cor. 15. 6. Iohannes Evangelista per-

pertigit usque ad imperium Traja-  
 ni imperatoris Romani: Hiero-  
 nymus enim dicit eum a passione  
 Christi vixisse annis 68. Et Euse-  
 bius ait eum supervixisse omnes  
 cæteros Christi Apostolos. Disci-  
 pulos reliquit Ignatium Antio-  
 chiæ, & Polycarpum, Smyrnæ  
 Episcopum, cujus discipulum se  
 profitetur Irenæus, Episcopus  
 Lungdunensis; lib. 3. cap. 3. Ubi  
 seriem Romanorum Episcoporum  
 recenset, ad suam usque ætatem.  
 Et ne pro genuinis Apostolorum  
 scriptis spargerentur adulterina,  
 ipsi sua manu subscripserunt. 1.  
 Cor. 16. *Salutatio mea manu Pauli, Et*  
 Col. 4. 18. *Salutatio mea manu Sc. Et*  
 2. Thes. 3. 17. *Salutatio mea manu Pau-*  
*li: quod est signum in omni Epistola;*  
*ita scribo.* Tertullianus de præscript.  
 adv. hæ. dicit extitisse suo tem-  
 pore autenticas Apostolorum Epi-  
 stolas, Corinthi, Philippis, Thes-  
 salonicæ, Ephesi, Romæ. post  
 med.

med. Servatæ fuerunt longo tempore, hæ literæ manu Apostolorum subscriptæ; dum interim prædicatum fuit Evangelium in universo mundo; nec defuit prædicationi autoritas. Apostoli enim frequentibus miraculis doctrinam confirmarunt, ac dona miraculorum ac linguarum longo tempore durarunt in Ecclesia, post mortem Apostolorum: sicut ex Eusebio & historicis Ecclesiasticis patet. Fallere itaque eorum doctrina non potuit, Domino cooperante, & sermonem confirmante signis & prodigiis. Marc. 16, 20. Sic cum Elymas magus cæcitate percussus est, ipse quidem incredulitatis pœnam luit, Sergius autem proconsul credidit, viso miraculo Act. 13, 12.

Est & alia adhuc certitudinis nota, quæ Christianam fidem ut verissimam nobis commendat, sanctitas præceptorum scilicet, major & excellentior quavis religione alia,

alia. Hanc commendat Moses, Deut. 4, 8. *Quis populus tam illustris est, qui tam sancta statuta & mandata habet, sicut est hec lex, quam ego tibi proposui hodie.* Horum mandatorum sanctitatem David mirifice commendat, Pf. 1, 9 Et Pf. 103. Deo gratias agit, qui præceptorum suorum cognitionem dedit Israeli. Et Paulus 2. Tim. 3, 16. *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Et Sacrae literæ possunt nos instruere ad salutem.* 2. Tim. 3, 15.

Apostolorum doctrinam futurorum prædictione Deus illustrem reddidit: Agabus famem prædixit, venturam sub Claudio. Act. 11, 28. Paulus vaticinatur salvos fore una navigantes. Act. 27: 34. Antichristi adventum prædicit. 2. Thes. 2: 3. item Joh. 1. Ep. c 2. 18. Et in Apocalypsi plurima, de futuris

turis temporibus Spiritus Sanctus  
 prædicat quæ eventu fuerunt com-  
 probata. Addantur his Gentilium  
 testimonia: Julianus enim aposta-  
 ta & hostis Christianorum, Mo-  
 sen, Prophetas, Evangelia & scri-  
 pta Apostolica agnoscit, & verita-  
 tem historiae recipit.

Porphyrus similiter adversum  
 historiae veritatem de Christo &  
 Apostolis nihil adfert, neuter  
 enim de his quæ gesta fuerunt,  
 quicquam excipit, quin & Julia-  
 nus miracula confitetur; apud  
 Cyrillum lib. 5. Jesum claudos &  
 cæcos curasse, & dæmones fugas-  
 se. Econtra conqueritur Porphy-  
 rius, deorum potentiam fractam  
 esse & evacuatam, adventu Christi,  
 his verbis: *Nunc vero mirantur, si  
 tam multis annis peste civitas vexatur,  
 quum & Esculapius & alii dii longe  
 absint ab ea. Postea enim quam Jesus  
 cotitur, nihil utilitatis à diis consequi  
 possumus. Respondet Eusebius: Quod*  
 si

*si dii sunt, e Porphyri, quare viribus  
 suis Jesu virtutem non deprimunt? Si-  
 quidem ut vos dicitis, mortalis homo Je-  
 sus, & seductor fuit: demones vero ve-  
 stri & dii salvatores: cur ergo omnes  
 simul cum Esculapio terga vertunt?  
 univsumque humanum genus, fusi at-  
 que fugati, Jesu tradiderunt? Et post  
 pauca: Tantum unus solus & ipse mor-  
 tuus potest ut innumeros Deos expulerit,  
 & honoribus eorum destructis, cultum  
 ad se transtulerit. Illi autem multi &  
 vivi, ut dicitis, nec apparent usquam  
 jam, nec operantur. Cur ita fit?  
 quia non dii, sed pravi demones dii ve-  
 stri sunt: Jesus autem & qui ipsum misit  
 pater Deus verus est. Cumque oportet  
 ret, si dii essent & humanarum rerum  
 curam haberent, religionem Christi  
 abolere & cultum suum corroborare, ni-  
 hil efficiunt: sed conati quidem se-  
 pius sunt, Regesque ac principes univer-  
 sumque Romanum imperium, adversus  
 Salvatoris nostri Evangelium concita-  
 runt. Jacent tamen superati, &c. præ-  
 par.*

par. Evang. lib. 5. cap. 1. valida est etiam hæc responsio & sufficiens adversus objectionem Juliani, qui Cyrilli lib. 6. & initio septimi, Christianis objicit; patrem scilicet Martis, Martemque ipsum, pollicitum perpetuum imperium Romanis, illud etiam servare; nec potuisse Deum Judæorum, ipsis exigui temporis potestatem libertatemque tueri, sed nunc Romanæ potentiaæ cedere Judæos, ipsisque hodie servire. Sed respondetur ex supradictis: potentia Romana hominum multitudinem, magnam superavit, fateor, neque id Martis, ope qui Deus non est, sed ejus permissione & nutu, qui mundum continet ac regit. Jesus autem noster deorum multitudinem innumeram devicit, & toto orbe expulit; Majus opus est Deos vincere. Verum Christiana Religio non de terrenis decertat, aut amplitudine regni terreni, sed de regno



regno cœlesti ; ideo Jesus coram  
Pilato protestatur , Regnum ejus  
non esse de hoc mundo.

Conticuerunt etiam oracula ad-  
veniente Christo , sicut confitetur ;  
referente Eusebio , Porphyrius , in  
lib. de responsis , pusa Apollinis,  
qui consultus hæc reddidit.

*Ablata est Pythii vox haud revocabilis  
ulli ,*

*Temporibus longis etenim jam cessit  
Apollo ,*

*Clavibus occlusus filet : &c.*

Plutarchus redditurus ratio-  
nem hujus silentii , dæmones ora-  
culorum præfides mortales esse  
putat. præp. Evangelica l. 5. c. 9.  
Opinionis hujus veritas probatur  
ex relatione cujusdam Æmiliani  
Rhetoris , de voce circa Echinadas  
insulas audita , jubente annuncia-  
re Pana magnum mortuum esse ,  
Imperante Tyberio hæc gesta sunt,  
quo tempore conversatus est  
Christus cum hominibus. Confir-  
mat.

mat Prudentius poeta eximius hoc  
 oraculorum silentium : ex respon-  
 so Jovis Ammonis.

*Ex quo mortalem perstrinxit spiritus  
 abvum*

*Spiritus ille Dei Deus, & se corpore  
 matris*

*Induit, atque hominem de virginitate  
 creavit:*

*Delphica damnatis tacuerunt sortibus  
 antra,*

*Non tripodas cortina regit, non spumat  
 anhelus*

*Fata Sibyllinis fanaticus edita libris,  
 Perdidit insanos mendax Dodona va-  
 pores,*

*Mortua jam muta lugent oracula Cu-  
 me,*

*Hæc responsa refert Lybicus in syrtibus  
 Ammon.*

Sic Daphnes oraculum conticuit  
 propter vicinum sepulcrum Baby-  
 læ martyris. Sozomenus, lib. 5.  
 cap. 18. Ostendit insuper Porphy-  
 rius, oracula Jesum summe reli-  
 giosum

giosum judicasse, & immortalī animā post corpus incedere, pium fuisse, & in cælum evectum. Quæ Dæmonum testimonia Gentibus, talia magni facientibus, accepta esse debent, nos cum Christo ea rejicimus, quia veritas per se illustris, dæmonum testimonio non eget. Deducimus tamen ex his, ejectos esse Dæmones, ac oraculorum imposturas diabolicas è mundo, adventu Christi, qui venit in mundum ut *destruat opera diaboli*: 1. *Joh. 3, 8.*

Ex his planum fit, Christianam religionem certis ac infallibilibus fundamentis niti: quæ tamen illustriora adhuc fient, si ad Gentilis, Mahometicæ, aut cujuscunque alterius religionis fundamenta conferantur. Non enim satis est si dicamus Christianam religionem esse principium indubitatum, contra quam non est disputandum: respondendum est enim Judæis, pa-

ganis, Mahomeftis, & infuper tentationibus confcientiæ, ex ignorantia aut infirmitate carnali ortis.

Nunc ut collatione diverfarum religionum res fiat clarior: Quæritur annon Judaica religio omnium antiquiffima, fine Chriftiana fide, fufficiat ad salutem? Respondetur, 1. Si de ea religione quæras, quam habuerunt Patres, Patriarchæ & Prophetæ, dico fufficientem eam fuiſſe; per eandem enim fidem illi ſunt ſalvati, ſicut & nos; fatetur id Petrus Act. 15, 10. Et oftendit per eandem fidem ſalvatos fuiſſe Patres ſicut & nos: per gratiam ſcilicet Domini Jeſu Chriſti. Ex hoc loco etiam idem probat Auguſtinus; contra duas Epift. Pelag. I. 1. cap. 21. Et Chriſtus, Johan. 8, 56. *Abraham pater veſter exultavit, ut videret Diem meum, & vidit, & gaviſus eſt.* Huc ſpectat illud Pauli, ex Veteri Teſtamento petitum; Genef. 15, 6. *Quid dicit ſcriptu-*

scriptura? credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Rom. 4, 3. Et v. 5. credenti in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad iustitiam. Et vers. 7. illud Davidis ex Psal. 31, 2. Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Salus ea contigit patribus ex gratia, per fidem in venturum Messiam: non ex hæreditate, nec ex merito; de quibus infra. Hinc patet eandem fuisse fidem patrum in Veteri Testamento, quæ est viventium in Testamento Novo: ut sicut nos credimus in Messiam exhibitum, sic illi in venturum: Nisi quod clarior atque illustrior reddita sit fides Christiana adventu Christi. 2. At si quæstio est de hodiernis Judæis, qui veterum Pharisæorum placita sequuntur; nequaquam ea fides ad salutem obtinendam ducit. 1. quia non assequuntur intentionem Dei, & modum juxta quem constituit sal-

vare peccatores, 2. Messiaꝝ officium & personam qualis sit non intelligunt; ut patet, Matt. 22, 42. cum nesciunt, quomodo Messias sit filius Davidis, & ejusdem Dominus. Et cum dicit Spiritus Sanctus moriendum esse Messiaꝝ, Esa 53, 7. & Dan. 9, 26. illi contra putant, vivere ipsum debere superstitem ad finem mundi & postea in æternum; nec fore morti temporali obnoxium. Joh. 12, 34. Christo respondent, *Nos audivimus ex lege quia Christus manet in æternum.*

3. Quia ex ignorantia hac, & falsis principiis; (quod ipsi magis expectunt) constituunt sibi quendam Messiam alium, Regem terrenum, qui eos eripiet ex servitute & dispersione, qua nunc in omnes gentes sparsi extorres agunt, colligetque gentem eorum in Judæam, Jerosolymam iterum ædificabit, facietque eos inimicorum suorum & populorum dominos,

eri-

eriget Regnum perpetuum, cui ipse præerit, usque ad finem mundi. Ex hoc fonte scripturarum vaticinia antiqua, quæ vel spirituales liberationem pollicentur à captivitate diaboli & peccati; vel ab inimicis antiquis duravit Synagoga; vel quæ liberationem prædicunt ex captivitate Babylonica: omnia illa contorquent ad regnum terrenum Messia constitutum: ideoque etiam nunc sperant liberationem & collectionem ex dispersione gentium, in terram Judæam: licet post captivitatem Babylonicam promissionem non habeant. Contra autem prædicit Spiritus Sanctus clarissimis verbis, quæ bis repetit, Dan 9, 66. & 27. devastandam civitatem & rempublicam Judaicam, quæ post prælium desolata manebit usque in finem. 4. Quia verum Messiam rejiciunt, *denuo crucifigentes Christum, filium Dei concul-*

cantes, qui & sanguinem testamenti polluturum ducunt, Spiritui gratiæ contumeliam facientes. Itaque non relinquitur illis alia pro peccatis hostia: sed terribilis expectatio iudicii, & ultio ignis. Heb. 10, 26. Miracula Christi vel calumniantur, vel extenuant, vel negant ut patres eorum, Matt. 12, 24. Joh. 8. Et cap. 9, 16. Cum tamen historia probet, Christiani fateantur, illis temporibus vicini; Saraceni terræ sanctæ incolæ, de Maria matre domini, annuntiatione per Gabrielem angelum, nativitate ac miraculis Christi plurima tradant; Judæorum quoque Rabini veteres, maximæ autoritatis in ea gente; sicut late demonstrat Galatinus, lib. 8. c. 5. & 6. qui corruptelas Judæorum circa fidem Christianam aperit, eorumque errores magno volumine refellit.

5. Quia iustitiam Dei ignorantes, propriam statuere laborant, quærentes iustitiam in operibus legis; quos mul-



multis refellit Paulus, Rom. 3, & 4. cap. 9. & 10. Gal. 3. & 4. Eph. 2. docetque nullam esse aliam justitiam salvantem, nisi eam, quæ est in fide Jesu Christi.

Et quis foret ille Messias quem adhuc expectant Judæi? Tempus à Daniele definitum præterit, quod & fatentur ipsi: cætera à Daniele prædicta eventu sunt comprobata; cur non & illud? Mortuus est Christus, non receperunt eum Judæi; sicut prædixit Daniel, cap. 9, 26. Esa. cap. 6. *Exercitus magni principis devastabit civitatem & sanctuarium*; annon hæc ita facta sunt? testatur Josephus & Hegesippus, cum historicis Ecclesiasticis; & res ipsa loquitur. *Desolata jacebit usque ad finem*; adeo ut cum reædificare vellent Julianus civitatem, ut irrita redderet vaticinia Christi; tempestatum turbine ac terræ motu disiecta sunt omnia, & insuper igne subterraneo erumpente, turbati

C 4                      sunt

sunt ministri operis, & pars magna  
 ædificiorum ruina oppressi sunt.  
 Refert Theodoretus, Hist. Eccle-  
 siast. lib. 3, cap. 20. *Cessabit sacrifici-  
 um, & abominatio desolationis sacrari-  
 um polluet; & ita factum est: fiet  
 etiam & reliquum, desolata jacebit*  
 [ Judaica respub. ] *usque in finem.*  
 Non est igitur quod in posterum  
 expectent Messiam alium, sed fi-  
 nem potius mundi, ac rerum  
 omnium terminum. Et qui pro-  
 missione carent de Messia alio,  
 aut alio tempore quo veniet, va-  
 na est expectatio verbo Divino  
 destituta. Magis autem denun-  
 ciatur ipsis poena, vaticinio Mo-  
 sis, qui eam prædixit, Deut. 32. à  
 versa 15. usque ad finem cantici.  
 Nisi quod ultimis verbis quædam  
 significatio gratiæ appareat; quod  
 quid sit, tempus docebit: forte  
 quod Paulus vaticinatur Rom. 11.  
 de conversione Israelis ante finem  
 mundi, ex Esa. 59, 20. post commi-  
 na-

nationem malorum præcedentium  
ex Mose, Eſaia, & 69. Pl. Davidis.

De gentilium religione agentibus nobis, non multo labore opus est, quam nunc per Dei gratiam maximapars mundi deseruit. Sciendum tamen est eam nullo saltem ad speciem probabili fundamento niti. Initia & occasiones causæque idololatriæ describuntur Sapientiæ cap. 14. quo lectorem remittimus. Breviter, amabat pater filium, aut subditi regem bonum; quem cupientes honore afficere: itaque extructa ara, positaque imagine defuncti, solennia decreta, & sacrificia, quibus quotannis aut crebrius, cultu assiduo repetebatur memoria demortui. Additæ insuper supplicationes, quibus putabatur defunctus, in numerum Divorum aut deorum societatem relatus, mortales juvare posse. Superstitionem & vanitatem hanc Deus prohibet primo præcepto de-

calogi, in lege Mosis & Prophetis frequenter: & Paulus Rom. 1. 18, Et Eph. 4, 17. & c. 2. 12. Hanc religionem veram non esse inde patet, quia omni in loco adesse, naturam conservare, a malo servare, preces invocantium exaudire, corda & cogitationes intueri, fanitatem agris ac vitam mortuis reddere, est infinitæ potentia, quæ creaturæ non competit, sed creatori: est enim non entis ad esse reductio, quorum infinita est distantia. Deinde Deum omnipotentem esse, ac omniscium, noverrunt gentes, *Deus enim ipsis revelavit;* ait Paulus, Rom. 1. 19. Sufficit igitur unius omnipotentis cura ad hæc omnia, qui nutu ac sine labore cuncta efficit, ut hac turba Divorum non sit opus: qui cum sint homines mortui, minus juvare possunt quam cum viverent. Legantur de his Tertullianus, in Apologetico contra gentes; Justinus

nus martyr in oratione ad gentiles; & in defensione ad Antoninum: præstat vero inter omnes Lactantius, qui tres libros in hoc argumento egregios scripsit, Divinarum institutionum adversus gentes. Notabilis etiam est ratiocinatio Juliani apostatæ adversus Christianos, hominis non indocti, qui cum adversus Christianos scriberet, præcipue laborat ut calumniis & fugillatione scripturas sacras irrideat, & in perversum sensum detorqueat. Accusat Christianos, quod neque Gentilium religionem sequantur, nec Judæorum: cum tamen ex Judaica, prima fidei nostræ fundamenta sint desumpta: ac cessante, ex divina ordinatione, ea quæ in ritibus consistit, promissiones mandata & vaticinia Divina in Mose & Prophetis scripta retineant. Interim ad asserendum paganismum nihil solidi affert, quod fidem faciat;

de diis & idolis gentilibus non-  
nulla commemorat, quomodo ho-  
minibus profint, quid boni confe-  
rant, ad felicitatem vitæ tempora-  
lis; idque non ex historia aut cer-  
ta scientia, sed ex opinione ho-  
minum vana, maxima parte ex fa-  
bulis extracta.

Mirum autem videtur, homi-  
nem Christiana fide antea imbu-  
tum, & post deficientem, tamen e-  
genis argumentis cedere voluisse:  
ut legenti mediocriter sensato,  
mox appareat vanitas. Sed mirum  
non est, diabolicis artibus dedi-  
tum, etiam in has absurditates in-  
cidisse. Refert Theodoretus, lib.  
3. cap. 26. magicæ artis documen-  
ta, ipso mortuo fuisse inventa; in  
secreto habita ab ipso vivo. Ex-  
tat cum refutatione Cyrilli, Tom.  
2. Ubi 10. libris ejusdem ineptias  
refellit & commonstrat.

Si vero antiquissimos Gentilis  
religionis patres respicimus, qui  
ab

ab Ægyptiis, & Chaldeis Divini cultus initia didicerunt, plerique consentiunt unum esse Deum mundi fabricatorem, rectorem & Dominum. Sic Hermes Trismegistus seu Mercurius Ægyptius docuit. Hic cum esset maximus Philosophus, Sacerdos factus est, & ex Sacerdote Rex, qui cum in singulis his dignitatibus præ aliis excelleret. Termaximus dictus, veteris Theologiæ autor antiquissimus extitit. Hunc sequutus Orpheus, Aglaophemum discipulum reliquit, cui succesit in Theologia Pythagoras. Et hunc sequutus Philolaus, Platonis præceptor in doctrina Religionis: sicut hanc seriem commemorat Marsilius Ficinus in prologo Mercurii. Incipit Mercurius ille Trismegistus à revelatione sibi facta, & Deum sic loquentem introducit: *Lumen ego sum mens, Deus, antiquior quam natura humida . . . . . mentis vero ger-*

*men, lucens Dei filius, quod in te audit  
 verbum Domini: mens autem pater  
 Deus, neque enim distant ad invicem:  
 horum unio vita est. Et post pauca;  
 Ex voluntate Dei, quae verbum com-  
 plexa, pulchrumque intuita mundum,  
 ad ejus exemplar reliqua sui ipsius ele-  
 mentis vi talibus seminibus exornavit.  
 Mens autem Deus, utriusque sexus fec-  
 unditate plenissimus, vita & lux men-  
 tem alteram opificem peperit, qui qui-  
 dem Deus ignis atque Spiritus numen.  
 Et deinde: Mens quidem opifex, una  
 cum verbo circulos continens, ac cele-  
 ri rapacitate convertens, suam ad se  
 machinam flexit, eamque volvi à prin-  
 cipio ad finem absque fine præcepit, ho-  
 rum profecto cunctorum circuitus,  
 quemadmodum ipsa mens voluit, ex  
 elementis inferioribus animalia consti-  
 vit rationis expertia, neque enim præ-  
 buit rationem. Aer volatilia protulit,  
 aqua vero natantia. Distincta quoque  
 inter se sunt aqua & terra, eum in mo-  
 dum qui menti placuit, Terra post-  
 mo-*



*modum animantia qua intus habuerat  
 peperit, quadrupeda videlicet, serpen-  
 tia, fera, agrestia pariter, atque do-  
 mestica. At pater omnium, intellectus,  
 vita & fulgor existens, hominem sibi si-  
 milem procreavit, atque ei tanquam  
 filio suo congratulatus est: pulcher enim  
 erat, patrisque sui ferebat imaginem,  
 Deus enim propria forma multum dele-  
 tatus, opera ejus omnia usui concessit  
 humano. Hæc ille sermone primo  
 Pimandri, ubi & in sequentibus  
 plurima, de elevatione mentis ad  
 Deum, de vera beatudine quæ  
 consistit in cognitione Dei: de  
 exuendis cupiditatibus corporeis;  
 cupiditates, stupra, adulteria &  
 similia mala, à dæmone inspirari  
 docet, serm. 9. Multa de animæ  
 immortalitate, & felicitate pio-  
 rum post hanc vitam & pœnis im-  
 piorum. Et quamvis multa præcla-  
 re de Deo loquatur, eumque  
 omnis boni, nullius mali auto-  
 rem celebrat; tamen capite penul-  
 timo*

timo Asclepii, idolorum cultum probare videtur, ex more recepto magis, quam ex sensu proprio: quod ex doxologia, qua dialogum claudit, satis apparet, quam ad Deum solum mundi Dominum dirigit, eumque solum benedicendum, laudandum & amandum docet: quia se hominibus manifestavit, eosque aeternitati dignatus fuerit consecrare. Et hanc esse paternam religionem ostendit. Orpheus, five carmina Orphica de Deo Latine reddita sic habent:

*Unus perfectus Deus est qui cuncta cre-*  
*avit,*

*Cuncta fovens atque ipse ferens super*  
*omnia sese:*

*Qui capitur mente tantum, qui mente*  
*videtur,*

*Qui nullumque malum mortalibus in-*  
*vehit unquam,*

*Quem prater non est alius, tu cuncta vi-*  
*deto*

*His*

*Hic ipsum in terris melius quo cernere  
possis :*

*Hic etenim video ipsius vestigia, fortem*

*Hicque manum video, verum ipsum  
cernere quis sit*

*Nequaquam valeo: nam nubibus insi-  
det altis,*

*Nemo illum, nisi Chaldeo de sanguine  
quidam*

*Progenitus vidit, quem cælorum aurea  
sedes*

*Sublimisque tenet, cujus se dextera ten-  
dit*

*Oceani ad fines, quem de radicibus imis  
Concussique tremunt montes, nec pon-  
dere quamvis*

*Immenso sint, ferre queunt: qui cub-  
mina cæli*

*Alta colens, terris nunquam tamen ille  
sit absens.*

*Ipse est principium, mediumque & exi-  
tus idem.*

*Præscorum nos hæc docuerunt omnia  
voces,*

*Qua binis tabulis Deus olim tradidit illis.*

Linus de Deo & creatione mundi sic ait : *Septima cum venit lux, cuncta absolvere cepit omnipotens pater.* Hoc Musæus, [quem Numenius putat fuisse Mosen] hoc Sibyllæ docuerunt, Berosus, & hos imitati Sapientes ac Philosophi Græci, Pythagoras, & Socrates; qui cum unum Deum mundi rectorem confessus est & docuit, nec Deorum multitudinem reciperet, ab Atheniensibus damnatus est, seductor juventutis; dataque fuit optio, an in exilium abire vellet, aut cicutam bibere; sicut Plato narrat, vitam ejus describens. Respondit in judicio, cum accusaretur, & sicut Apostoli, Act. 5, 29. cogitare jussit Athenienses, an Deo potius obediendum putarent, an hominibus? elegit autem mori potius, quam cum ignominia in exilio vivere. Plato unum Deum supremum mundi rectorem & factorem fatetur; Aristoteles de primo

mo-

motore ita in auscultationum libris loquitur, ut & ipse idem sensisse videatur, & in ultimo Metaphysicorum adhuc clarius. Macrobius dicit Philosophos cum de Deo loquuntur simulacris non uti: quia summus Deus, nataque ex eo mens sicut ultra animam, ita supra naturam sunt. Somnio Scip. l. 1. cap. 2. & cap. 6. Mundanæ molis artificem & conditorem fatetur. Et cap. 13. causam primam, principem & originem omnium quæ sunt, & videntur. Lucilius apud Ciceronem, 2. de nat. Deorum. *Non egere quidem videtur oratione prima pars: quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cælum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis quo hæc regantur? Quod ni ita esset, qui potuit assensu omnium dicere Ennius? Aspice hoc sublime cadens quem invocant omnes Jovem. Illum vero & Jovem, & do-*

*mi-*

minatorem rerum & omnia nutu re-  
 gentem: & ut idem Ennius: Patrem  
 divumque hominumque. Et ibidem  
 circa libri medium: *Viderisne igitur,*  
*ut à physicis rebus bene & utiliter inven-*  
*tis tracta ratio sit, ad commentitios &*  
*fictos Deos? Quae res genuit falsas opi-*  
*niones, errores turbulentos & super-*  
*stitutiones penè aniles. Et formæ enim,*  
*nobis Deorum & ætates & vestitus or-*  
*natusque noti sunt, genera præterea,*  
*conjugia, cognationes omniaque tra-*  
*ducta ad similitudinem imbecillitatis*  
*humanae . . . . accipimus enim & Deo-*  
*rum cupiditates, [scortationes in-*  
*tellige & adulteria] ægritudines, ira-*  
*cundias. Nec vero ut fabula ferunt,*  
*dii bellis præliisque caruerunt. Hæc,*  
*ait, & dicuntur & creduntur stultissi-*  
*me, & plena sunt futilitatis summe-*  
*que levitatis. Hæc ille, recte omnia.*  
 Quod vero Deorum multitudi-  
 nem dicti autores juxta interdum  
 admittant, fit id ex vulgi sensu  
 magis, & quia duce scriptura Di-  
 vina

vina destituuntur, non mirum est, si veritatem per omnia non sint assequuti. Nec parum ad errorem confert opinio recepta vulgi, quæ Socratem sustulit, aliosque plurimos, ut si diversum sentire quis vellet, non tulisset utique impune.

Quod enumerati prisca sapientes ab Assyriis, Chaldæis ac Ægyptiis, cognitionem de Deo & cultu religioso se accepisse fatentur, perungente ad Phoenices ac deinde ad Græcos; quid est aliud, quam quod reliquit in Ægypto Joseph & Patriarchæ, & apud Chaldæos Hesechiel, Daniel, cum Judæis, dum per annos septuaginta detinerentur in captivitate? Quamdiu autem in hac simplicitate doctrinæ, quam prisca patrum ætas docuit, gentes perstiterunt, non longe abfuerunt à cognitione Dei vera, postquam vero inducta fuit deorum multitudo,

&

& Poëtarum fabulis involuta; *Eva-  
nuerunt in cogitationibus suis, & ob-  
scuratum est inspiens cor eorum. Di-  
centes enim se esse sapientes stulti facti  
sunt.* &c. quæ Apostolus de genti-  
lium errore, ejusque causa disse-  
rit; Rom. 1, 21. Quibus addantur  
ea quæ sup. de causis idololatriæ  
allata sunt; cujus exemplum ex-  
tat. Dan. 3. ubi Nebucadnezar sta-  
tuam auream adorandam propo-  
nit. Philosophi deinde cum in-  
genii sagacitate ac rationis acumi-  
ne omnia metiri vellent, & de  
Deo putabant se rationis industria  
posse vera eruere; nec contenti  
erant traditione à patribus acce-  
pta: ideo à cognitione Dei vera  
longius recesserunt, ac inter se dis-  
sentientes alii alia de Deo sapiunt;  
& dum alii aliorum opiniones ar-  
gumentis destruunt, omnia fiunt  
incerta. Itaque Cicero postquam  
diu in libris de natura Deorum, va-  
rias plurimorum sententias de Deo  
re-



retulisset, & pleraque improbasset; sic concludit: *Omnis igitur talis à Philosophia pellatur error; ut cum de Diis immortalibus disputemus, dicamus digna Diis immortalibus: de quibus habeo ipse quid sentiam, non habeo autem quæ ipse assentiar.* lib. 3. ante finem. Et prope ad finem: *Hec habui fere dicere de natura Deorum, non ut eam tollerem, sed ut intelligeretur quam esset obscura, & quam difficiles explicatus haberet.* Socrates quamvis unum Deum crederet mundi Dominum, tamen, veneno epoto, jamque moriturus, iussit gallum persolvi Æsculapio; Platone referente. Plutarchus de placitis Philosophorum, lib. 1. cap. 6 & 7. plurimas easque discrepantes Philosophorum sententias recitat, nec potis est certi quid de Deo statuere: dum alii Deum faciunt cælum, alii mundum, alii Solem, aut errantes stellas, aut numen aliquod superius, complectens

plectens mundum: aut animam  
 mundi, quæ pervadit ac permeat  
 universâ, mentem alii formam-  
 que separatam, nulli materiæ per-  
 mixtam. Sic nihil certi statuere,  
 possunt de Deo, & cum sapientia  
 præstantes, videntur unum esse,  
 oportere principium primum,  
 quod sit omnium causâ prima, in-  
 finita potentia & virtute; nec pos-  
 se infinita esse plura, nisi unum;  
 tamen turbati hærent in multitu-  
 dine Deorum. Breviter, omnes  
 fatentur ignorantiam: sicut & de  
 Simonide sapientissimo refert de,  
 natura deorum Cicero; qui ro-  
 ganti Heroni quid sit Deus, re-  
 diu deliberata, respondere tamen  
 non potuit. Deploranda erat hæc  
 in gentibus cæcitas: qui cum ipsi  
 Deum non noverunt, tamen de  
 Deo Israelis nihil quærebant; Pro-  
 phetarum oracula & Mosen, ac vi-  
 cinos Græcis Judæos non consu-  
 lunt, sine dubio, quia Judæi vana  
 nu-

numina omnia rejecerunt; colentes unum solum mundi Dominum; Ideoque gentibus exosi propter deorum contemptum, de religione cum illis non communicarunt. Ægyptii autem & Chaldaei, opinione theologicæ scientiæ ex patrum informatione, ut dictum est, apud vicinos populos clari; amplitudine etiam imperii, opibus, literis ac syderum motusque cœlestis contemplatione celebres, religionis magistri insuper ab omnibus habentur. Hos conluerunt Græci, & quicumque sapientiæ studio flagrarunt. Declinantibus vero illis ad idolorum cultum, sequuti cæteri, & in idololatriam prolapsi sunt. Assyrios autem ante captivitatem Babylo-nicam defecisse ad idololatriam, indicat adoratio statuæ. Dan. 3. & Regis adoratio decreta à satrapis. Dan. 6. Causam vero Macrobius explicat, qua moti sapientes anti-

D                      qui.

qui, fabulis & simulacris, deorum  
 secreta involvant: Quia sciunt ini-  
 micam esse naturæ, apertam nudam-  
 que expositionem sui . . . . Numenio  
 denique inter Philosophos occultorum  
 curiosiori, offensa numinum, quod  
 Eleusina sacra interpretando vulgarit,  
 somnia prodiderunt: viso sibi Eleusinas  
 deas, habitu meretricio, ante apertum  
 lupanar videre prostantes: admiran-  
 tique, & causas non convenientis numi-  
 nibus turpitudinis, consulenti respon-  
 disse iratas, ab ipso se adyto pudicitie  
 suæ vi abstractas, & passim aduentibus  
 prostitutas. Adeo semper ita se soli nu-  
 mina matuerunt, qualiter in vulgus  
 antiquitas est fabulata. Putat Macro-  
 bius, si aliquibus summis viris,  
 sapientia interprete, veri arcani  
 conscii hæc mysteria sint manife-  
 stata, reliquos figuris contentos ef-  
 se oportere, defendentibus à vili-  
 tate secretum. Ipso itaque faten-  
 te pudenda sunt gentilium sacra,  
 & turpia, ut ea in lucem proferre  
 non

non aufint: itaque Christus falva-  
tor conqueritur, mundum magis  
amare tenebras quam lucem; Joh.  
3. Talia fuerunt Bacchi facra, quæ  
ideo noctu peragebantur, ut sce-  
lus tegetetur tenebris: horum fa-  
crorum pudore affecti Romani, ea  
civitate fua expulerunt. Autor eft  
Livius decade 4. Christo itaque  
Domino gratia debetur, qui lux  
venit in mundum; ac illuminans  
homines, diras hafce tenebras  
fugavit, & idola fuffulit.

Ut etiam de Mahumetica reli-  
gione aliquid dicamus: cum fit  
inter diverfas religiones tertia,  
Christianæ fidei adverfa, eaque  
hoc tempore latiffima; complecti-  
tur enim Mauritaniam, Numi-  
diam, Ægyptum, Arabiam, Sy-  
riam, Perfiam, circa Pontum  
pleraque ac Syriam univerfam;  
terra tractus latiffimos, cum Eu-  
ropæ partibus, Thracia, Mace-  
donia partibusque Græcia. Quæ

ritur itaque quibus fundamentis  
 innixa, quibus initiis, tot popu-  
 los sibi subjecit? Venditabat se  
 Mahomet pro Propheta Domini,  
 & legibus Mahometis capitale est,  
 si quis neget aut dubitet, dicatve  
 diversum. Nunc ab initio mundi  
 non est Propheta à Deo missus,  
 qui non miraculo, aut vaticinio,  
 cujus eventus sit mox sequutus,  
 missionem suam probaverit; quam  
 notam Deus ipse proposuit obser-  
 vandam; Deut. 18. in fine. Et: 2.  
 Pet. 1, 21. *Non voluntate hominis al-  
 lata est olim Prophetia, sed Spiritu  
 Dei impulsu loquuti sunt sancti Dei ho-  
 mines.* Et quamvis sint qui mira  
 quædam Mahometi attribuere co-  
 nentur, scilicet quod columba  
 sæpe adveniens in aurem ei ali-  
 quid dixerit, & quod Lunæ pars  
 sit in manicas ejus illapsa; omnes  
 tamen vident aut fabulam esse, aut  
 nequitiam & imposturam. Deinde  
 cum Arabes exigent ab eo  
 mi-

miracula, quibus missionem suam probaret; respondit: Non sum vobis missus ut faciam miracula. Postulant itaque ut adducat à Deo Angelum, qui testetur de missione sua; sed nec id præstare potuit; ut notat Johannes Galensis Angelus, doctor Parisiensis de origine Mahometis. cap. 7. Quod hodierni Mahometistæ ex victoriis & armorum successu, dicunt missum, ut vi adigat homines ad suam religionem; dicimus fallere hoc principium: sicut enim veritas fidei Alexandri asseritur, ex armorum successu; sic Romanorum, quorum latissimum erat imperium, sicut ex eodem principio pro veritate suæ religionis argumentum, ducit Julianus, apud Cyrillum adv. Julianum lib. 6. Sic de Persis ac Medis, idem dici possent.

Secundo pii sunt Prophetæ, & doctrina sancta; Mahomet impostor, libidinofus, in adulterio

deprehensus, uxores plures duxit ipse simul, pluresque suis permittit, multa præterea spurca, impudica, injusta & iniqua. Hujus legis vigore invadunt Turcæ innocentes, à quibus læsi non fuerunt, sanguinem innocentem effundunt, & possessores fundis ac bonis suis injuste ejiciunt; lege eorum id permittente, ob solam dissentionem à lege Mahometis. Intima suæ religionis mysteria occultant: quia, sicut gentilium mysteria, impudica & obscœna in publicum proferre pudor vetat, ne palam facta iniquitas & turpitudine, religioni contemptum pariat. Vitam futuram collocant in fruitione voluptatum corporis, libidine ac lascivia; In tractatu quem vocant vaccæ: In fine secundæ distinctionis dicit: *Credimus in Deum, & id quod missum fuit nobis, & quod missum fuit Abrahæ, & Ismaeli, & Isaac, & Jacob, & tribubus: &*  
*id*



*id quod dictum fuit Mofi, & Jefu; & id quod fuit dictum ac datum Prophetis à Domino fuo, & non separamus inter aliquem ex ipsis.* Hoc est: pari in autoritate habemus eos omnes. Itaque Jefum æquat Prophetis. Jurant per Deum cœli & terræ autorem, per Prophetas, per quatuor Evangelia, & per Mahumetem, ut videre est in Epift. Solymani ad Rhodios, quæ extat in continuatione hiftoriæ Abbatis Urſbergenſis. Verum cum credat vera eſſe quæ in Moſe & Prophetis & in Novi Teſtamenti libris ſcripta ſunt; Chriſtum tamen Dei filium eſſe non admittit, ſed recipit ut Prophetam, inſuper contra ſcripturas impia plurima admittit, non dicam ſolum de fide, à qua in multis recedit, ſed etiam in præceptis honeſte vivendi.

Quæritur, quænam ſit vera Eccleſia ex his, qui Chriſtianam fidem profitentur?

D 4

Deus

Deus qui ingentibus beneficiis hominum genus affecit, creatione, redemptione, conservatione ac sustentatione perpetua: cultum, obedientiam, & gratiarum actionem ab illis requirit. Ideoque homini creato leges posuit, cultum praescripsit, voluntatem suam notam fecit, primis parentibus in paradizo, Patriarchis, Moysi, Prophetis, postremo per filium. Heb. 1, 1. Deficientibus vero hominibus, per securitatem, & cultum vanum, à veri Dei notitia, Deus homines, totum scilicet mundum, hoc est, omnes viventes, ad veram cognitionem, & cultum verum revocavit: primos parentes, primum in peccatum prolapsos, data promissione de Christo, Gen. 3. Secundo, cum deficiente priore mundo, Noa, solus cum familia servabatur in diluvio, & vocem Dei loquentis audivit. Tertio cum Christus per

per Apostolos Evangelium prædicari fecit per orbem terrarum. Sic semper servata fuit Ecclesia & cultus veri Dei; maxime vero temporibus Novi Testamenti; cum in omnibus partibus mundi Evangelii doctrina illuxit, juxta vaticinium Davidis: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum. Ps. 19.* Cum itaque in partes abirent Evangelicæ Ecclesiæ, per schismata & seductionem, mansit tamen & adhuc manet Ecclesia Græca, quamvis misere lacerata, à nostris in quibusdam dissentiens, utpote de processione Spir. Sancti, de invocatione sanctorum, cultu imaginum & paucis aliis. Romana Ecclesia, felicior, quieta, & ab erroribus ac dissentione longo tempore libera, adeo ut numeret Irenæus Episcopus duodecim, ad annum Christi 180. ad quem ipse pertigit. Posteriores quoque usque ad

D 5

Gre-

Gregorium magnum, laudantur, propter veritatem doctrinæ: nec deest Catalogus pontificum Romanorum sequentium, ad nostra usque tempora. Hac felicitate ac successione serieque Episcoporum non interrupta, gloriantur Papistæ, suam Ecclesiam esse Ecclesiam veram Catholicam; seque habere traditionem ab Apostolis acceptam: itaque sibi suoque Pontifici tribuunt potestatem, Scripturas variandi, interpretandi, juxta placitum; secundum id quod illorum Ecclesiæ & societati conducit; in alias omnes Ecclesias auctoritatem ac dominium usurpant, potestatem putant ad se spectare omnem, non solum Ecclesiasticam, sed etiam politicam, transferendi regna, Reges confirmandi ac deponendi, excommunicandi Reges ac regna: & talia plurima.

Respondendum est, cum Ter-  
tul-

tulliano, qui in libro de præscript. adversus Hæreticos, ab ipsis exigit, ut edant originem suarum Ecclesiarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit autorem & antecessorem. Hoc enim modo, ait, Ecclesie Apostolica census suos deferunt, sicut Smyræorum Ecclesia Polycarpum à Johanne collocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum: id & proinde utique & cetera exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis tra-duces habeant. Confingant tale aliquid heretici. Hactenus ille: unde mirifice triumphant Romani, de sua Ecclesie primatu: & in cæteros Christianos autoritate: verum non minorem facit autoritatem, Autor, Smyræorum, & cæterarum Ecclesiarum, quarum succes-

sionem ab Apostolis deducere, non erat difficile tempore Tertulliani, secundo videlicet seculo à nato Christo. Neque enim nunc quisquam Græcos, Arabes, Æthiopes Christianos, tanto ab Apostolis nunc intervallo distantes, damnaret, quod seriem Episcoporum suorum pariter, a primis illis Apostolorum temporibus continuatam, deducere nequeant. Attendant itaque, quid ulterius ad illa priora, dictus Autor antiquissimus addat. *Sed [inquit] & si confinxerint, intellige seriem huiusmodi, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diversitate & contraritate sua, pronuntiabit, neque Apostoli alicujus Autoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciverunt.* Concludit itaque Tertullianus, Apostolicas  
 Ec-

Ecclesias dici non posse, eas, quæ à nostris provocatæ, docere nequeunt Apostolicæ doctrinæ conformitatem. Exemplis quoque rem declarat: non posse esse Catholicas eas, quæ de resurrectione mortuorum, cum doctrina Pauli ad Corinthios non consentiunt; ut Sadducæi, Marchion & Valentinus, Aut Hebion, qui contra Epist. ad Galatas, circumcisionem & legem observat; neque nuptiarum sugillatores, contra Epist. ad Timotheum, ut Marchion & Apelles. His addantur etiam in hoc puncto Papistæ: quos contra Pauli doctrinam de conjugio aliena sentire clamat opinio impia de conjugio Sacerdotum; immundum enim & carnalem iudicant conjugalem statum; ideoque non posse ministros Ecclesiæ salva conscientia in conjugio vivere. Sunt & alia plurima in quibus ab Apostolica doctrina de-

fecerunt. Non est negandum, Romanam veram fuisse Ecclesiam, quam diu perstitit in synceritate doctrinæ ea, quam ab Apostolis accepit. Probatur ex definitione Ecclesiæ. Ea demum est vera Ecclesia Christi, quæ vocem ejus audit. Joh. 10. Et: Frustra Deum colunt, docentes doctrinas mandata hominum: Matt. 15. Et: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. Ps. 119. Et; Sacræ literæ possunt nos instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu. Et paulo post: ut perfectus sit homo Dei. 2. Tim. 3, 15. Contra, qui verbum Dei non audit, à Deo non est: Job. 8, 47.

Est itaque vera Ecclesia, quæ audit Verbum Dei, hoc est, quæ habet Verbum Dei incorruptum, sine additione traditionis humanæ; idque docet & sequitur: deinde ubi genuinus est sacramentorum usus. Hæ sunt notæ Ec-



Ecclesiæ præcipuæ, quo possunt cætera referri, ut sunt verum ministerium, rectus usus clavium, & cætera. Nec satis est audire & obedire in quibusdam, & in quibusdam placita sua sequi: hæc enim est fides & religio Samaritana, quæ describitur, 4. Reg. 17, prohibet hoc, Deus, Deut. 12. *Non addes ad verbum quod præcipio tibi, nec auferes ab eo*, Et Deut. 29. Fœdus cum Israele renovat, ac benedictionem promittit servantibus præcepta ejus; ac pœnas cum maledictione denunciatur recedentibus à mandatis ejus.

Ex his fundamentis probatur, Ecclesiam Papisticam non esse veram Ecclesiam: ideo, quia verbum Dei in quibusdam articulis servat: in multis recessit ab his, quæ in scripturis sunt tradita. 1. Articulus justificationis corrumpunt: & cum dicat Salvator Christus, fide nos salvari per meritum ejus; Joh.

Joh. 3, 16. *Sic Deus dilexit mundum,*  
 Et cap. 6, 29. *Hoc est opus Dei, ut  
 credatis in eum quem misit ille. Et*  
 Baptista Joh. 3, 29. *Qui credit in fi-  
 lium, habet vitam æternam.* Idem  
 docet Paulus, Rom. 3, 20. & se-  
 quentibus. Et cap. 4. item Gal. 3.  
 & 4. Eph. 2, 4. Papistæ his non  
 contenti, præter justificationem  
 hanc, quam Spiritus Sanctus voce  
 filii Dei & Apostolorum, nobis  
 revelavit, comminiscuntur aliam,  
 quam oporteat nos ipsos nobis  
 mereri per opera, adjuvante tam-  
 en Divina gratia; ut meritum  
 Christi ingressum in Ecclesiam no-  
 bis mereatur & gratiam Dei: oport-  
 ere autem nos, per opera in fide  
 facta, mereri vitam æternam.  
 Cum tamen scriptura dicat *gratiam  
 Dei esse vitam æternam.* Rom. 6, 23.  
 2. Peccatum originis, malum in-  
 habitans dictum, Rom. 7. concu-  
 piscentiam scilicet, quam Paulus  
 peccatum appellat, v. 7. concilium  
 Tri-

Tridentinum negat esse peccatum, nisi moveatur ad actum. Cum tamen propter hanc veniat ira Dei super incredulos. Col. 3, 6. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram; fornicationem, concupiscentiam malam &c. propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis.* 3. Crassus est error, quod ex sacramento cœnæ faciunt sacrificium Novi Testamenti, quo sacrificant Deo pro vivis ac mortuis: Sacrificium hoc inventum est hominum, caretque institutione & autoritate Divina; Est itaque cultus vanus, damnatus, à Christo, Matt. 15. Finis vero & verus usus sacramenti hujus, in verbis institutionis est, ut edendo & bibendo, cum elementis accipiant corpus & sanguinem Christi, in memoriam mortis Domini, ad fidei nostræ confirmationem.

4. Ingenti audacia calicis usum laicis adimunt, contra institutionem Christi; contra jus & fas; nam

nam *testamento hominis nemo super-  
 ordinat, morte interveniente, ait Pau-  
 lus; Gal. 3, 15. Heb. 9, 17. 5. Clavi-  
 um usum geminum faciunt, Ec-  
 clesiasticum & Politicum; quem,  
 tamen Salvator solis Ecclesiæ usi-  
 bus accommodavit, cujus regnum  
 non est de hoc mundo, Joh. 18, 36.  
 Et cum dicat Salvator, Luc. 22, 25.  
 Reges gentium dominantur, &c. vos  
 autem non sic: illi contra pontificem  
 extollunt supra Reges & princi-  
 pes, docentque omnia Regna  
 Christianorum esse feuda Romani  
 Papæ, ut possit ea conferre cuicun-  
 que velit: & cuicunque velit,  
 adimere. Ideoque longo tempore  
 Imperatores & Reges confirmabat  
 Romanus Pontifex. Pontificii re-  
 centiores pudore hujus palpabilis  
 absurditatis affecti sic limitant; ut  
 quamvis directe hanc potestatem  
 Papa non habeat, quoad tempo-  
 ralia: habet eam tamen quatenus  
 dirigitur ad bonum spirituale. Et  
 huc*

huc adducunt illud Esa. *Gens & regnum quod non servierit tibi desolabitur.* cap. 60, 10. & 11. quocunque res vertatur, potestatem Pontificis ita formant, ut omnem secularem potestati Papæ subjiciant, id multis argumentis & exemplis probare conatur Bellarminus l. 1. de Rom. Imperii translatione, cap. 12. Huc etiam torquent dictum Christi de clavium potestate, Matt. 16. concernente conscientias & res Ecclesiasticas tantum; docentque his verbis, Petro & Rom. pontificibus primatum in Ecclesia esse commissum, cum omnimoda potestate Ecclesiastica simul & Politica, in omnes etiam Reges & Imperatores atque Regna. Bellarm. de Rom. Pontif. l. 1. cap. 13. Christus Salvator contra, clare profitetur coram Pilato, quærente an sit Rex; respondet regnum suum non esse de hoc mundo: sed ut testimonium perhibeat veritati. Joh. 18, 36.

Ab

Ab administratione rerum temporalium Salvator ita erat alienus, ut nec rogatus hæreditatis divisioni interesse voluerit. Luc. 12, 13. addita gravissima exhortatione, de fugienda avaritia. Sed nec exemplum dari potest usurpasse, Apostolos hanc potestatem, sed sola potestate Ecclesiastica contentos fuisse. Sic Paulus incestuosum Corinthium Excommunicat. 1. Cor. 5. Eundem absolvit. 2. Cor. 2, 6. Alexandrum & Hymenæum, tradidit Satanæ 1. Tim. 1, 20. Exempla quæ proferunt ex historiis Papistæ, nihil ad rem faciunt; nam si maxime probare possent, aliquando transtulisse regna Pontifices, Reges proscripfisse, deturbasse ab imperiis, contulisse regna aliis: non hinc sequitur jure id factum esse; magis autem inde probant pontificiam iniquitatem, ac tyrannidem, qui ordinaria potestate non contenti, alienos

ter-

terminos invadunt; sine mandato Divino. Distinxit autem Dominus gubernationem civilem ab Ecclesiastica, cum jussit *dare Cesari quæ sunt Cesaris, & quæ sunt Dei Deo.* Et in Veteri Testamento Sacerdotium à principatu politico sejunxit, Mofi principatum, Aarons Sacerdotium commisit: quod probe intelligens Josaphat, Rex, qui, pontificem iis judiciis præfecit, quæ religionem & cultum Divinum concernunt; principem vero domus Juda, præfecit judiciis & causis concernentibus Regis negotia, & gubernationem civilem. 2. Chroni c. 19.

6. Purgatorium commenti sunt Papistæ, quod esset quasi quoddam vestibulum inferni, ubi in igne purgante homines luent scelerum pœnas, alii majores, alii minores, pro quantitate peccatorum, annis quinque, decem, centum, mille, aut per multa millia  
an-

annorum. Hoc dogma probatur, confirmationem suæ sententiæ primo desumunt ex Phædone & Gorgia Platonis, & ex Æneidibus Virgilio, ut videre est l. 1. Cap. 2. Bellarmini de purgatorio. Docent autem peccata quædam esse venialia, quæ pœna temporali expiari possunt; si qua itaque talia commissa sint, pro quibus nulla, aut non sufficiens pœna infligitur in hac vita, pro his dicunt esse satisfaciendum in purgatorio. Oritur hæc opinio ex ignorantia Legis Divinæ, quæ simpliciter damnat omne peccatum, quod committitur adversum legem Dei. Nec agnoscit hanc distinctionem peccati venialis & mortalis, Johannes Apostolus, qui cap. 3. 4. peccatum definit per *ἀνομία*, quæ est declinatio à lege. Lex autem omne peccatum damnat: nulla igitur peccata sunt venialia sua natura. Jam ex scripturis proba-



ri non potest, ullam satisfactio-  
nem acceptam à Deo pro pecca-  
tis, nisi solius Christi, *qui dedit se-  
ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab  
omni iniquitate.* Tit. 2, 14. Ergo sa-  
tisfacit Christus etiam pro venia-  
libus peccatis quæ dicuntur, &  
nostra satisfactione non erit opus.  
*Sanguis enim Jesu Christi filii Dei nos  
emundat ab omni peccato.* 1. Job. 1, 7.  
*Nec relinquitur alia pro peccatis hostia.*  
Heb. 10, 26. Non potest igitur  
ignis ille purgatorius nos à pecca-  
tis purgare. Deinde cum pecca-  
to læditur justitia Dei infinita.,  
non potest finita creaturæ actio,  
eidem infinitæ justitiæ Dei satis-  
facere; quæ caussa fuit, cur neces-  
se esset filium Dei carnem assume-  
re, & meritum infiniti pretii Deo  
rependere, ut infinitæ justitiæ sa-  
tisfieret. Rom. 8, 3. Argumenta,  
quæ ad purgatorii ruinam fulcien-  
dam ex scripturis desumunt, con-  
torta sunt & aliena ab hac impo-  
stura,

stura. Præcipuus est, 1. Cor. 3, 10. qui tamen de purgatorio non agit; sed de doctrina contextus totus differit ab initio capitis; Et est exhortatio Apostoli, ne quis temere super posito ab ipso fundamento, incerta aut inutilia superstruat; Papistarum more: quamvis de operibus ex fide factis Augustinus accipiat in 8. quæst. Dulcitii. quæst. 1. Quod Matt. 12. Dicitur, peccatum in Spiritum Sanctum non remitti, neque in hoc seculo, neque in futuro; hinc non sequitur, aliquod peccatum remitti in futuro seculo; negat enim hoc Christus magis, propter eos qui putant peccata expiari posse in futuro seculo. Nam & Origenes, sensit, Deum tandem, propter ineffabilem misericordiam, liberaturum impios ex cruciatu infernali: verum tacente scriptura, etiam nos tacere oportet. Cætera quæ afferunt vana sunt & nullius moment-

menti; Et quæ allata sunt, doctrinam hanc vanam non astruunt sed evertunt.

7. Purgatorii terriculamento remedium substituunt Indulgentias, ut qui cruciatus ignis purgatorii metuit, ad Papam confugiat & Sacrificulos; qui fingunt esse quendam thesaurum in Ecclesia, reservatum ex meritis Christi, maxime vero ex superfluis meritis & passionibus beatæ Mariæ, quam omni peccato vacuam imaginantur. Bellar. l. i. de indulg. cap. 2. prop. 4. Et ex meritis superfluis Johan. Baptistæ & aliorum sanctorum: ibidem. Docet itaque idem, potestatem datam esse Papæ & sacrificulis, applicandi hunc thesaurum iis qui emere volunt, idque per sacrificium missæ, aut per diplomata, maxime vero pontificis. Hac impostura homines perterritos, omnibus facultatibus expoliant, sæpe etiam fundis,

E

ædi-

adibus, bonisque immobilibus: unde ditantur in immensum Papa, Prælati & sacrifici Romani. His fraudibus mille dolos alios superaddunt; exactiones ex annatis, legatis, mendicitate, pro pallio Episcopali, aliisque dolose inventis artibus. Reducta est enim, ipsis ad lucrum universa religio; huc enim respiciunt merita operum, qualia ipsi præscribunt, unde fructus aliquis ad inventores redit; peregrinationes item ad sepulcra & reliquias sanctorum; ubi semper aliquid offerre oportet cucullatis: & hi comedunt domos viduarum, pretendentes longas preces, sicut Pharisei; Matt. 23, 14. Extant de his protestantium querimonie in conventu Smalcaldico, Sleidan. com. 1. 13. Et Regis Gallie, lib. 22. ant. fin. Et in paralipomenis Chron. Urspergensis, Anno 1521. Et in vita Philippi filii Barbarossæ, cantico apposite ludic

dit Abbas. *Gaude mater nostra,  
Roma. &c.*

8. Crudelitas & firus sanguinis  
insatiabilis, alienos eos facit a  
consortio Ecclesiæ; qua igne, fer-  
ro ac rapina persequuntur omnes  
eos, qui falsa eorum dogmata no-  
tant, & in impietatem eorum non  
consentiunt: in quo Mahumeti-  
stis sunt similimi, qui putant se  
justam semper habere belli cau-  
sam, in omnes dissentientes ab  
impietate Mahumetis. Itaque  
conspirarunt in oppressionem eo-  
rum, qui Evangelicam fidem pro-  
fitentur, Pontifex Romanus, Im-  
perator Germanicus, Episcopi,  
Rex Hispaniæ & principes papi-  
stici: ac destinarunt in hoc bellum  
ut fert fama, equitatum triginta-  
trium millium & quinquaginta;  
peditum septuaginta septem mil-  
lia. Nunquam ab exordio mun-  
di fuit hæc consuetudo veræ Ec-  
clesiæ, sed ea ab impiis semper  
est

est passa persequutionem; Cain, Abelem, Ismael Ifacum, Baalitarum, Eliam persequuti sunt: Pharisæi Christum, Judæi Apostolos, tyranni Romani Christianos. Apostoli multa mala perpassi sunt ab impiis ipsi nemini vim inferentes: nec habet Ecclesia Christi hujus rei mandatum ullum aut promissiones, neque exemplum. Sub Maria Angliæ Regina, quæ annis quinque regnavit in Anglia, propter religionem, crudeli incendio gladioque absumpti sunt viri primæ dignitatis, cum mulieribus quibusdam, homines quingenti, ut refert Historia Anglica Johannis Foxi.

Hæc documenta, ut reliqua, omittantur, satis probant, non esse apud Papistas veram Ecclesiam; si nimirum de Ecclesia docente, judicium exquiratur: alias quia leguntur in ea Ecclesia Sancta, Evangelia, lex Dei & Prophetarum

rum oracula, promissiones quoque de Messia; credimus Verbi Dei eam esse efficaciam tamen, ut plurimi pii ac simplices verbis Divinis credentes, traditiones hominum ac superstitiones contemnant, & salvi fiant: verbum enim Dei non frustra prædicatur nec revertitur vacuum; sicut loquitur Spiritus Sanctus per Esaiam, cap. 55, 10. sicut ante adventum Christi inventi sunt Sacharias, Elisabeth, Maria, Joseph & sine dubio alii plurimi; novit enim Dominus qui sunt sui: 2. Tim. 2, 19. Et tempore persecutionis sub Ahab, reliquit sibi Dominus septem millia, quos novisse non potuit Elias. Baptismus quoque apud Papistas integre servatur, ut etiam de parvulorum salute bene sperandum sit, quamdiu ab erroribus hisce jam dictis sunt immunes. Quod autem dicunt, Papam ex cathedra pronuncian-

tem non posse errare, falsum esse convincitur, exemplo Caiphæ & Pontificum, qui Christum & doctrinam ejus damnarunt: probatur idem ex erroribus jam enumeratis Romanæ Ecclesiæ, quos omnes Papa ratos habuit.

II. Quæritur an Sacramentarii pro fratribus agnosci possint, falsa synceritate fidei, ac pro veris Ecclesiæ membris recipi. Notandum est hic iterum, quod de vera Ecclesia supra dictum est: hi sunt veri discipuli Christi, qui ejus vocem sequuntur. Manifestavi, inquit Salvator, nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo: tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servaverunt: Joh. 17, 6. Respondetur, itaque i. Prædicante primum Beato Lutero adversus superstitiones papisticas, & procedente feliciter negotio, juvante Deo, & Spiritus Sancti gratia, cum magna  
pars



pars Europæ fidem reciperet, & in simplicitate fidei Ecclesia fidelium cresceret: diabolus veritatis hostis excitat Carlostadium, qui invidia hujus successus Lutherum æmulatur: nominis famam quarit, quasi melius adhuc de fidei mysteriis sentiat quam Lutherus. Is igitur secessione facta incipit statuas demoliri, Christi præsentiam in cœna negare, ac errores suos pertinaciter adversus Lutherum defendere. Ex hoc Patriarcha originem duxerunt, Helvetii, Zuinglius, Oecolampadius, & in Galliis Calvinus & Beza. Illi igitur primi à nostris Ecclesiis secessionem fecerunt. 2. His erroribus non contenti, plures superaddunt de persona Christi, de prædestinatione, de causa peccati & lapsus primorum parentum. 3. Verba conformare, consueverunt, ad modum loquendi de mysteriis religionis, nostris

Ecclesiis usitatum, cum tamen sensum sibi receptum retineant: quod est signum malæ conscientiæ. Si enim vera est eorum de mysteriis fidei sententia, cur non claris & significantibus verbis eam exprimunt, cur lucem oderunt? Judicium autem Christi Salvatoris est de hujusmodi Johan. 3, 20. *Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera eorum.* 4. Amicitiam ac fraternitatem nobis offerunt; an sincere, an vero dolose Deus novit qui corda inspicit: metuumdum est magis id fieri; ut periculum papalis persecutionis hoc modo effugiant; quod ne ipsi quidem in scriptis editis dissimulant. Quia enim ipsorum confessio Carolo V. Cæsari exhibita, recepta non erat, neque ipsi in pace religionis comprehensi: itaque verentur, ne pace reddita Augustinæ confessionis sociis, ipsi  
Pa-

Papistarum crudelitati relinquuntur expositi.

R. Nos à reconciliatione quidem non abhorrere, si relinquunt errores, alias quæ est communio Christo & Belial? 2. Cor. 6, 15. *An nescitis quia paulum fermenti totam massam corrumpit?* ait Apostolus, 1. Cor. 5, 6. itaque cap. 11. modum convivandi circa cœnæ sumptionem non toleravit. Modum reconciliationis proponunt adversarii; si fide simplici credamus ea quæ Ecclesiæ symbolis continentur, Apostolico, Niceno, Athanasiano: & in his Articulis fidem nostram terminemus, quos illi pro fundamentalibus habent: Et utinam longius non fuissent progressi; at illi ut dictum est, primi ab illa simplicitate recesserunt, cum negarent Christum posse corpus suum exhibere nobis in cœna, quod in cœlo continetur, à terra remotum, obstante scilicet.

E s

pro

proprietate corporis naturalis. Illi  
 itaque primi hanc quæstionem  
 moverunt, quam nunc vellent  
 abolitam: quod si igitur sine ex-  
 ceptione nobiscum verbis Christi  
 credidissent, prout verba sonant,  
 nulla fuisset controversia mota.  
 Itaque Lutherus protestabatur in  
 colloquio Marpurgensi, se velle  
 simpliciter verbis Christi inhære-  
 re, dicentis: Hoc est corpus me-  
 um, sperans se coram tribunali  
 Christi hac fide fore tutum: sed  
 si cum Zuinglio dicat: Christum  
 corpus suum nobis dare non pos-  
 se, per corporis naturalis proprie-  
 tatem, non videre se quomodo  
 coram mundi iudice consistere  
 possit; si relicto textu sequatur,  
 glossam. Hic error fundamentum  
 convellit, & verbis Christi contra-  
 dicit, aufertque rem cœlestem, in  
 sacramento exhibendam, unde  
 fructus & efficacia sacramenti  
 evacuatur: itaque non potest in-  
 Ec-

Ecclesia tolerari. Paulus etiam dicit, panem quem frangimus communicationem esse corporis Christi. 1. Cor. 10, 16. itaque pani conjungitur, & præsens exhibetur, corpus Christi. Si de modo quaras quomodo id fieri possit? Hunc nos Deo committimus, qui potens est facere supra quod nos cogitare possumus. Eph. 3, 20. Illi, ut nobiscum loquantur, dicunt, Christum nobis præsentem vere exhiberi, sed fide accipiendum: unde sequitur nos credere debere, & fide percipere, sed præsentiam imaginari absentis corporis. At Christus jubet accipere & comedere, quod porrigit, ac dicit hoc esse corpus suum: ut fides maxime non excludatur; tamen manducatio præcipitur, non panis solum, sed etiam Corporis Christi. Non est itaque contentio de modo præsentia, quem utraque pars fatetur se ignorare, sed de

E 6                      ipsa

ipsa præsentia Corporis Christi, quam nos credimus, illi pernegant: nos verbis testamenti inhaeremus; illi vanas explicationes verborum quarunt. Hinc probatur illos esse hujus diffidii autores, nos simplicitati fidei semper studuisse; si qua vero sensum & intellectum nostrum superant, ea reservamus Scholæ illi cœlesti, ubi Deus erit, omnia in omnibus.

Alter est error de prædestinatione salvandorum, de qua Paulus Ephes. 1. 3. *Benedixit nos in omnī benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo: Sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem: Et post pauca: Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipsum: &c.* Electionem hanc seu prædestinationem dicimus respicere eos tantum, qui credentes Evangelio per Christum salvantur. Credimus etiam cognitum esse Deo hunc salvandorum numerum, eum-

eumque prævidisse ab æterno, sicut eadem scientia videt præsentia, præterita & futura. Causam damnationis, ponimus in incredulitate eorum, qui media a Deo ordinata non recipiunt: non enim alia relinquitur nobis ad salutem via Act. 4, 12. *Non est in alio aliquo salus. &c. Et voluntarie peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia:* Ebr. 10.

Nec obstat hæc electio, quin velit Deus ac serio expetat omnium hominum salutem; sicut pater filios omnes sincero amore complectitur, & salvos universos cupit: quamvis constituat inobedientes hæreditate privare. Fundamentum hujus sententiæ extat, 1. Tim. 2, 4. *Qui omnes homines vult salvos fieri; & ad agnitionem veritatis pervenire. Et Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire sed omnes ad penitentiam reverti:* 2. Pet. 3, 9. Con-

clusit Deus omnia sub incredulitate, ut omnium misereatur. Rom. 11. 32. Jesus fleuit visa Jerosolyma, & testatur desiderium salutis eorum. Matth. 23. Dilexit mundum. Job. 3. 16. Itaque pro omnibus mortuus est Christus. 2. Cor. 5. 15. Et, est propitiatio, non pro peccatis nostris tantum, sed pro peccatis totius mundi. 1. Joh. 2. 2. Contra clarissima hæc scripturæ verba, statuunt Calvinistæ, Deum non velle omnium salutem; Deum maximum hominum numerum destinasse ad æternum exitium, eosque in hunc finem creasse. Et sicut loquitur Beza in resp. ad coll. Mompelg. mihi pag. 194. Nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum, quo voluerit, velit aut voliturus sit singulorum misereri. Ibidem thesi prima: Deum non otiose prævidisse lapsum Adami. Dicit Deum ab æterno decrevisse quos & per quas causas, non in ipso decernente, sed in ipsis perdendis inhasuras, sit suo tempore perdi-



*turus. Et sup. Occultum dicimus quia  
 sola Dei voluntate nititur. pag. 200.*  
 Hæc ita sunt evidentiæ, ut si sal-  
 tem conferantur ad scripturas su-  
 pra allatas, mox appareat contra-  
 dictio: unde non mirum est mo-  
 nente Arminio, maximum Calvi-  
 nianorum numerum defecisse, ac  
 abhorruisse ab hac sententia impia  
 ac blasphema. Nam sicut exem-  
 plo patris & filiorum supra est de-  
 claratum, non pugnant inter se,  
 Deum velle omnium salutem; &  
 Deum velle credentes salvare per  
 Christum. Et impia illa senten-  
 tia ea Deo tribuit, quæ si vera sint  
 Deus non est Deus. Quia n.  
 Deus non solum bonus est sed ip-  
 sa bonitas: quomodo posset Dei  
 bonitas aut Deus à seipso defi-  
 cere, cum sit immutabilis; & hoc  
 malum velle, peccatum scilicet &  
 damnationem; quod est omnium  
 malorum maximum. Sic enim  
 in Deum caderet bonitas & mali-  
 tia,

tia, fierentque in Deo accidentalia, secundum quæ Deus esset modo bonus modo malus. Hoc est non esset Deus; pugnat enim talis assertio directe contra naturam Divinam.

Tertius error est de persona Christi; cum enim contra clarissima Testamenti verba, quibus Evangelistæ & Paulus cœnæ sacræ institutionem describunt, negare coeperunt præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna; substituentes imaginariam illam præsentiam intellectu formandam: putabant se instantias nostras rectius declinare posse, si Christum hominem ab Ecclesia removeant, & in cœlo empyræo collocent, extra mundum, & omnes orbes cœlestes; nunquam appropinquaturum fidelibus suis; priusquam veniat in extremo die iudicaturus vivos & mortuos. Deinde obijcient naturales corporis naturalis

lis proprietates ab impossibili ratiocinantur, Christum arguentes quod constituat & intendat ea, quæ efficere nequeat; quibus respondet Angelus, Luc. 1. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Christum autem in cælo abesse, nihil aliud infert, si præsentiam in Ecclesia respicias, quam non esse nobiscum carnali ac mortali conversatione, ut ante resurrectionem. *Hæc inquit, sunt verba, quæ loquutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum.* Luc, 24, 44. Et cum Paulus Damascum iret, vidit seu audivit eum loquentem in via: Act. 9, 5. Incidunt præterea in hanc absurditatem, ut constituent alicubi esse Christum Deum, ubi non habeat humanam naturam sibi præsentem: fiuntque in Christo duæ personæ juxta Nestorium, negata scilicet idiomatum communicatione; aut fatebuntur in Deo esse partes extra partes, sursum

sum deorsum; ut Deum contingat humana natura, in ea parte Dei quæ sursum est, non vero in ea quæ est deorsum. Quod quam fit inconueniens de Deo non solum dicere, sed etiam cogitare, omnes intelligunt. Tutissimum est nobis, qui Christo credimus, dare gloriam Deo, relictis fantasiis humanæ inventionis; verbis Divinis inhærere. Fantasia enim & inventa hominum non liberant à morte; *Evangelium autem est virtus Dei, ad salutem omni credenti.* Rom. 1. Dicit Salvator in Evangelio, *ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matt. 18, 20. Et cap. 28, 20. *Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Hæc de Christo toto accipimus, non de dimidio aut diviso. Quod si negent proprietatum communicationem mutuam in Christo, faciantque eam solum esse verbalem & secundum

cundum dici, ex principio Phifico quod afferunt, dicendo *fini-  
tum non esse capax infiniti*; jam ad-  
versus naturarum unionem, &  
carnis assumptionem disputant;  
& adversus Paulum, qui dicit in  
carne Christi *habitare omnem pleni-  
tudinem Divinitatis*. Col. 2, 10. Non  
est locus ratiocinationi humanæ,  
in mysteriis Divinis: nisi enim  
his contenti esse velimus, quæ no-  
bis Deus in scripturis revelavit;  
omnes fidei articuli pessum eunt.  
Exempli gratia; articulus de crea-  
tione mundi, quomodo consistet,  
si cum Epicuro modum hujus  
maximi operis scrutari velimus;  
quibus machinis, quibus ministris,  
molem hanc ingentem ordinave-  
rit. Si cum Sadducæis adversus  
articulum de mortuorum resurre-  
ctione, impossibilitatem præten-  
dere: Matth. 22, 23. 1. Cor. 15, 35.  
Quomodo resurgent mortui? aut  
quali corpore venient; Hic si re-  
licta

lieta revelatione ac promissionibus  
 Divinis, scripturæque informa-  
 tione, humanæ rationis ductum  
 sequamur, facilis est lapsus in de-  
 sperationem ac interitum. Sic Pon-  
 tificem Jerosolymitanum & Syne-  
 drii assessores plures hæc ratioci-  
 natio perturbavit, atque à fide re-  
 surrectionis in interitum præcipi-  
 tavit: Act. 5. 17. & ibidem, cap. 23.  
 7. Non potest itaque hæc religio,  
 de qua nunc agimus, vera esse,  
 quæ rationis humanæ placitis im-  
 plicata, scripturarum rectum ac  
 simplicem sensum deserit: quæ tot  
 modis à fundamentis veræ fidei  
 recedit; ut alia plurima omittan-  
 tur, quibus vera Evangelii fides  
 corrumpitur. Attamen, sicut de  
 Romana religione antea dictum  
 est, quia verbum Dei in Ecclesiis  
 illis legitur, Sacramenta in usu  
 sunt; non est dubium esse in illis  
 plurimos; qui simplici fide scri-  
 pturis credunt; speculationibus  
 illis

illis omissis : quos etiam hac fidei simplicitate salvari pie credimus. Sic Maria quod non intellexit credidit: Luc. 1. Abraham, verbo Domini innixus, *contra spem in spem credidit.* Rom. 4, 18. Itaque de hac secta sic concludimus cum Sacharia Propheta; *Si impossibile videtur in oculis reliquiarum populi hujus, in diebus illis; nunquid in oculis meis impossibile erit? dicit Dominus exercituum.* cap. 8, 6.

Quæritur autem, annon opinioniones jam dictæ, de modo præsentia Christi, quia admittitur præsentia, salvo fundamento retineri possint, & pro stipulis haberi? Responsum est superius, non solum de modo est quæstio, sed de præsentia ipsa; quam nos admittimus, illi negant: itaque fundamentum convellunt. Deinde potuerunt Pharisæi ad fidem conversi, similiter argumentari, de circumcissione & ritibus Mosaicis; de

debere ea retineri salva fide Christiana, cum qua illa non pugnant, præcipue cum adhuc libere seruentur ab Apostolis. Sed respondet Paulus: *Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit: Evacuati estis à Christo: Gal. 5, 2. & 4. Et v. 9. Modicum fermenti totam massam corrumpit. I. Cor. 5.*

Hujus sectæ soboles quædam & discipuli sunt Anabaptistæ; qui errores à Sacramentariis acceptos multiplicarunt; Scripturæ auctoritatem extenuant, & somnia atque apparitiones sequuntur: Sacramentorum efficaciam tollunt, puerorum baptismum rejiciunt, ut non necessarium, Omnia autem argumenta, quibus utuntur adversus baptismum puerorum, eodem modo adversus circumcisionem puerorum dirigi possent: quam tamen à Deo mandatam, nemo negat; & extat mandatum, Gen. 17, 12. Si enim juxta mandata-



datum Christi Matt. 28, 19. nemo  
 baptizandus est, nisi doceatur pri-  
 mum, & fidem profiteatur: ne-  
 que recte circumcidebantur infan-  
 tes octavo die, quos oporteret,  
 juxta horum deliria, fœdus cum  
 Deo ante circumcisionem profite-  
 ri; quod ita videmus in baptifimo  
 fieri, ab adultis. Scimus autem  
 baptizatas ab Apostolis totas fami-  
 lias: 1. familiam Stephanæ. 1. Cor-  
 1, 16. 2. Lydiæ familiam. Act. 16.  
 Et jussit Jesus pueros ad se adduci,  
 horum enim est regnum cœlorum.  
 Marc. 10. Deinde non audent  
 Calviniani negare expresse, præ-  
 sentiam corporis Christi in cœna,  
 sed substituunt imaginariam,  
 quandam præsentiam, quam ima-  
 ginatione formamus in intellectu  
 primum, deinde fide comprehen-  
 dimus: illi præter panem & vi-  
 num nihil exhiberi in cœna aper-  
 te fatentur. Nec credunt sacra-  
 mento gratiam & fidem in fide-  
 libus

libus augeri, peccata remitti, Spiritum nostrum vivificari, communionem corporis Christi: sed saltem esse commemorationem mortis Domini, excitari dilectionem mutuatam, utque exemplo Christi ad perferenda mala excitemur. Itaque sacrae cœnæ usus apud eos est exiguus, cuius tamen crebram iterationem Christus mandavit. Tertio, error est, aut potius malitia seditiosi & sanguinolenti spiritus, cum, magistratum omnem damnant; docentque Christianum non posse bona conscientia magistratum gerere; aut viceversa magistratui obedire: bella gerere, sceleratos gladio punire. Cum tamen Christus jubeat *dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris*; Matt. 22. & Paulus Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo, Dei minister est tibi in bonis. Non frustra gerit gladium: &c. Et, Tit. 3. Admone illos principibus*

*pi-  
nu-  
em  
rtis  
nu-  
ad  
Ita-  
est  
ite-  
er-  
itia  
iri-  
em  
cia-  
tia  
er-  
re-  
um  
ari,  
lus  
Sub-  
po-  
tibi  
um:  
nci-  
ibus*

*pibus & potestatibus subditos esse, dicto  
obedire, ad omne opus bonum paratos  
esse. Et, 1. Pet. 2, 13. Subiecti estote  
omni humane ordinationi. &c. Hac  
impiorum doctrina excitata fuit  
agrestium multitudo superioribus  
annis, in Moravia, adversus Ma-  
gistratus suos, Muncerus etiam  
cum focis, infausto exitu: Sleid-  
danus l. 5. tragoedia quoque Mo-  
nasteriensis, de qua Sleidanus lib.  
10. ubi etiam contra traditionem,  
propriam Regem constituerunt.*

Ministerium ordinarium juxta  
Divinam ordinationem non ad-  
mittunt, sed ut quemque sua fo-  
mnia concitant, ut saepe idiotæ &  
indocti, velut furiis acti, docen-  
di munus arripiant, contra ordi-  
nem Divinitus institutum, & pra-  
xin Apostolorum. Quomodo  
enim prædicabunt nisi missi fue-  
rint? Rom. 10.

Hac tanta in religionis myste-  
riis

F

riis

riis sententiarum varietas, ingentes hominum generi calamitates, omnibus mundi temporibus excitavit, sicut declarat status prioris mundi; ubi Noa excepto ac paucis familiaribus, reliqua pars mundi universa defecit. Quanta tunc passus fuerit justitiæ præco ab impia hac profanorum hominum multitudine, æstimare facile est, consideranti pœnam horribilem, cum servatis octo tantum hominibus, totum genus humanum diluvio periit. Horrendum iræ Divinæ exemplum: horrendum Patriarchæ, & cæteris in arca servatis, spectaculum. In veteri Synagoga sub iudicibus ac Regibus, pugna fuit Prophetis, Sacerdotibus, aliisque veri Dei cultoribus perpetua, adversus idolorum cultores, adeo ut prævalente sæpius impietate, carceres, exilia, ignes ac supplicia  
gra-

gravissima, perpeti necesse fuerit; sicut ex historia Jeroboam, Achab, Eliæ, Jeremiæ, Danielis, Maccabæorum, Herodis atque Pontificum ejus temporis apparet. Quid Christus, quid Apostoli, alique Evangelicæ doctrinæ præcones, initio plantationis Ecclesiæ Novi Testamenti pertulerint, historia Evangelica & Apostolica scripta ostendunt. Durum erat Christianorum jugum, sub decem tyrannis Imperatoribus Romanis: cum multa millia Christianorum gladio absumpta, ac horrendis cruciatibus, exquisitisque suppliciorum generibus excarnificati, perierunt. Sublata tyrannide hac execrabili, ac pace, per Constantinum imperatorem orbi Christiano restituta, non licuit diu tranquillitate optata frui: diabolus enim hostis Christi & Ecclesiæ, alio stratagemate fide-

lium societatem aggreditur, & Ecclesiarum præfides gloriæ atque honorum cupiditate accendit; cum alius in alium æmulatione, exarsit, novas de Deo & fide opiniones spargit ac propugnat, factiones excitat, suæ sententiæ sectatores plures acquirit. Hinc mutuo conflictu exacerbati animi, in partes abeunt, ac in perniciem mutuum conspirantibus Christianis, via sternitur Mahometi, & Saracenis, qui occupata potentia, invaluerunt viribus in immensum, & superstitione, per Asiam, Græciam & Ægyptum, velut diluvio inundantes, Ecclesias universas cum imperio orientis everterunt. Laceratis hunc in modum orientis Ecclesiis; crescit interim viresque acquirit Ecclesia Romana, quæ autoritate aucta ex ruinis præstantissimarum Ecclesiarum, Græciæ, Asiæ, & Ægypti,

pti, jam incipit ex successu insole-  
 scere, autoritatē captare in omnes,  
 si qui sunt qui imperium recusant,  
 hos bello persequi, Reges ac  
 populos in mutuam cædem arma-  
 re, excommunicatione ferire,  
 honores ac Regna tribuere &  
 adimere, ex placito voluntatis:  
 nova insuper dogmata cadere,  
 opes ex religionis corruptione  
 quærere, Divina oracula suo sub-  
 jicere arbitrio. Nec horrent ferro,  
 flamma & quovis mortis gene-  
 re in eos favire, qui hujus tan-  
 tæ corruptionis flagitia & impo-  
 sturas non probant. Hæc est fe-  
 re bellorum ac malorum omni-  
 um origo, quibus affligitur Eccle-  
 sia multis retro seculis: fructus  
 hic est falsæ doctrinæ, ac dissen-  
 sionis in fidei negociis. Propha-  
 nitas ex his oritur, ut vana & opi-  
 nabilis fiat omnis religio, fiantque  
 securi: quales describit Apostolus  
 2. Tim. 3, 2.

F 3

Te-


Tenenda est hic exhortatio  
Apostoli, 1. Tim. 6. *Si quis aliter  
docet & non acquiescit sanis sermoni-  
bus Domini nostri Jesu Christi, & ei  
quæ secundum pietatem est doctrina;  
superbus est, nihil sciens, sed languens  
circa questiones & pugnas verborum,  
ex quibus oriuntur invidia, contume-  
lia, suspiciones male: consuetudines  
hominum mente corruptorum, & qui  
veritate privati sunt, existimantium  
questum esse pietatem. Et post pau-  
ca: Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge:  
sectare vero justitiam, pietatem, fidem.*

Hæc pauca ad confirmatio-  
nem illustrissimi principis adhi-  
bere visum est, trimestri tempo-  
ris apud nos actio spatio: cum  
jam peregrinationi & conversa-  
tioni variorum ac ignotorum ho-  
minum committendus erat:  
quam quidem utilitate sua ne-  
quaquam carituram spondet in-  
genii candor, ac animus in prin-  
cipe



cipe ſyncerus, patriæ ac religio-  
nis amans, & ad res maximas  
natus. Deus veritatis ac pacis  
Autor, celsitudinem ejus, nos,  
patriamque cum Eccleſia fidelium  
uniuerſa, in veritate conſeruet, ab  
erroribus & violentia impiorum  
immunem, ad nominis ſui glo-  
riam, qui eſt benedictus  
in ſecula.





**I**


**I**

Ul  
bu  
Pr  
ve

**J**

S







I 6. 87

ULB Halle  
004 077 008

3




56,

7 7

Z







Farbkarte #13

B.I.G.

IOH. CANVTI LENAEL,  
DE  
**VERITATE**  
ET  
**EXCELLENTIA**  
CHRISTIANÆ RELIGIONIS  
BREVIS INFORMATIO.



AD EXEMPLAR VPSALIAE  
CIS IOC XXXVIII  
EXCVSVM.  
LIPSIAE ET COBVRGI  
IN OFFICINA  
PFOTENHAVERIANA  
ANNO MDCCI.  
SCHLEVSINGAE,  
TYPIS G. W. GOEBELII,  
GYMNAS. TYPOGR.

